



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Disputatio XXX. De ministro directo quoad reseruata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

ASSERTIO.

Disse Papam
sine iusta
causa refer-
uare peccata.

Dico tamen, rem hanc posse speculative tractari, & practice. Et quidem de Summo Pontifice tã speculative, quam practice probabilius cenſeo validam esse reservationem ab ipſo factam; etiam si absque legitima causa fiat. Prior pars probatur ex illo fundamento, quod hæc iurisdictione confertur à Summo Pontifice, & ab illo pendet: unde non est de illa iudicandum sicut de re, quæ transit in dominium absolutum alterius, ita ut non possit illa privari: sed potius, ut de quodam inferiori iure dependente à superiore, & ordinato ad bonum subditorum, magis quam ad utilitatem habentis: & ideo ita datur à supremo pastore, ut tamen semper ab illo pendeat, quia semper manet supremus pastor, & potest, per se ipsum curare, vel iudicare oves, si velit. Quod ita confirmatur, & declaratur, quia si à principio voluisset Papa instituire Episcopum dando illi tantam iurisdictionem, & non maiorem, reuera factum teneret, quia in effectibus privatus sufficiens ratio eorum est, ut causa non influat, siue licite, siue illicitè faciat: ergo idem erit in reservatione, quæ fit post priorem institutionem: est enim eadem ratio. Præsertim, quia Pontifex à principio potuit hac lege & conditione iurisdictionem conferre, ut ab ipſo semper penderet, nec se priuaret iure suo, & potestate. Quod autem ita fecerit, constat, tum ex vſu, tum etiam, quia expedit bono communi ad tollenda schismata. Et confirmatur secundo, quia in aliis actibus iurisdictionis semper est efficax actus Pontificis, ut in foro contentioso Ecclesiastico si Pontifex ad se referret cuiusque causæ iudicium, valida est reservatio, etiam si sine vlla alia ratione eam referret, sed solum ex suprema potestate, ut constat ex capit. *Ad nostram*, de Appellationib. Deinde, si Summus Pontifex aliquem eximat à iurisdictione Episcoporum, factum tenet, etiam si sola sua voluntate id faciat. Similiter, si Pontifex abroget legem ab Episcopo latam, vel impediat, & irriter ferendam, vel aliquid præcipiat contra præceptum Episcopi, semper actus iurisdictionis manans à Pontifice est efficax, dummodo versetur circa materiam licitam, & quavis fortasse sine causa, vel imprudenter id faciat. Quorum omnium ratio est supra tacta: quia licet Pontifex cum Episcopis communicet iurisdictionem suam semper, tamen manet proprius, & supremus pastor & iudex, à quo ceteri inferiores pendunt, & potest si velit per se ipsum curare oves suas, vel iudicare causas earum. Ergo reservatio à Pontifice facta nunquam est censenda irrita ipſo iure.

Manifestus autem hoc probatur si practice res hæc consideretur. Et signum in primis est, quia nullus Catholicus auctor hæctenus ausus est dicere reservationem aliquam in particulari factam à Summo Pontifice esse nullam, licet interdum nonnulli de multitudine reservationum conquesti fuerint. Secundo, quia in re dubia semper est timenda sententia pastoris, præsertim supremi: nunquam autem potest in particulari esse certum, reservationem fieri sine legitima causa, quia hæc non semper est gravitas peccati, sed aliæ multæ possunt esse in peccato Pontificis, quavis à subditis ignorentur: ergo nunquam potest aliqua eius reservatio in particulari iudicari prudenter nulla. Tertio ita hos declaro, quia Soto, & alij nunc maxime censent posse esse nullam hanc reservationem, quando nimia est multitudo reservationum casuum: hæc vero causa nunquam potest esse practice sufficiens. Interrogo enim an statim tota collectio nulla sit, ita ut iam nullus casus reservatus maneat valide: & hoc dici non potest probabiliter, tum quia decem casus, v. g. possent valide reservari: ergo propter multiplicationem aliorum non fit statim inualida tota reservatio: tum et-

A iam, quia hæc reservatio omnium non fit simultanea, sed paulatim: priores ergo reservationes validæ sunt, non ergo fiunt inualidæ solum quia super addantur aliæ. Vel dicitur reservatio nulla quoad aliquos casus determinatos: & hoc etiam dici practice non potest, vel quia non est maior ratio de his, quam de illis: vel certe, quia non potest homo designare, quævis sit ille numerus casuum reservationum, quo impleto, reservationes, quæ postea adduntur, nullæ sunt.

De Episcopis vero respectu Parochorum res est magis dubia, quia hoc pendet ex modo institutionis & dependentiæ, quam ex vi illius, & ex voluntate Pontificis Parochi iurisdictione habet ab Episcopo. Rationes autem factæ, si cum proportionem applicentur, videntur suadere, etiam hic servari proportionalem subordinationem, & dependentiam: nam semper Episcopus manet ita superior, ut possit causam aliquam sibi reservare: & quavis in conscientia teneatur id prudenter, & ex causa facere, tamen si semel faciat, videtur magis expediens ad tollendas occasiones schismatis, & ad cauenda pericula animarum, ad quarum utilitatem omnis hæc potestas ordinatur, expedit, inquam, ut reservatio semel facta, rata, & valida habeatur. Quæ omnia licet speculative non conueniant, & ideo distinctio 3. opinionis probabilitate non careat, moraliter tamen satis persuadent secundam sententiam & probabiliorē & securiorē esse. Præsertim vero non inuenio quomodo distinctio illa possit ad proximum applicari, propter dissentium superius factum: & ideo, in particulari loquendo, nunquam cenſeo reservationem esse contemnendam tanquam nullam, sed quando reservatio, aut nimia, aut irrationabilis apparuerit recurrendum esse ad superiorem, v. illi rei provideat. Neque est necessarium, aut vtile maiorem facultatem inferioribus concedere.

Ab Episcopi
possunt refer-
uare sine
iusta causa

DISPUTATIO XXX.

De ministro, qui potest absolueri penitentem per se, & directè à casibus reservatis.

Dvobis modis potest absolui huiusmodi penitens: primo directè & per se ab ipſis casibus reservatis, ad quod necesse est, ut absolvens habeat iurisdictionem circa illa, quia sine iurisdictione nemo potest ferre sententiam in aliqua causa. Secundo potest contingere, ut absolvatur penitens habens casus reservatos, non tamen per se ab illis, sed ab aliis peccatis non reservatis, cum quibus indirectè, & per accidens tolluntur reservata. Uterque igitur modus absolutionis, & ministerii à nobis explicandus est. In hac vero disputatione solum explicabimus, apud quos sit hæc iurisdictione ad absolvendum directè à casibus reservatis, & quibus modis haberi possit. In sequenti autem explicabimus vſum eius, & consequenter de indirecta absolutione dicemus.

SECTIO I.

Quis possit directè & per se absolueri à peccatis reservatis.

Suppono iurisdictionem hanc posse duobus modis haberi, scilicet, vel ut ordinariam, vel tantum ut delegatam, rursusque delegationem hanc fieri posse vel per concessionem directè factam sacerdoti, vel per licentiam datam penitenti ad eligendum confessorē: nam quoad hæc omnia eadem est ratio de iurisdictione circa

Dua regule proponuntur Prima.

circa peccata reservata, & circa alia. Dux igitur regulae generales sunt constituenda. Prima est, Qui peccata reservavit, & qui in hoc foro est illi iurisdictione superior, habet potestatem ordinariam ad absolvendum ab his peccatis. Hæc est communis, & certa: nam, qui reservando abstulit iurisdictionem, eam sibi retinuit: ergo per illam poterit absolvere: is autem qui est superior illo, habet iurisdictionem vniuersalem respectu illius, quæ se extendit ad omnia, ad quæ iurisdictione inferioris: ergo ille etiam potest absolvere. Confirmatur: nam ante reservationem vterque dictorum prælatorum poterat absolvere ab illis peccatis: sed per reservationem inferior non potuit auferre iurisdictionem à superiore: ergo. Dixi autem, in hoc foro, quia non satis est, vt sit superior dignitate in ordine hierarchico, vt sunt v. g. Episcopus, & Archiepiscopus: non enim potest Archiepiscopus subditum Episcopi, etiam suffraganei, à peccatis reservatis suo Episcopo, quia non habet immediatam iurisdictionem in diocesis suffraganeorum in hoc foro, nisi fortasse quando actu visitat illas, vt supra tetigi, & latius in materia de excommunicatione. Comparatur ergo illo modo Episcopus, & Summus Pontifex, & in religionibus Prouincialis, & Generalis, & sic de aliis.

Secunda regula.

Secunda regula est, hæc peccata etiam posse directe & per se remitti per potestatem delegatam, quæ concedi potest ab vtroque prælato, quem diximus habere potestatem ordinariam. Hæc etiam est indubitata, & communis: nam qua ratione sufficit delegata iurisdictione in hoc foro circa alia peccata, sufficit etiam circa hæc, & eadem est ratio & potestas delegandi illam. Quare manifestum est, eum, qui reservavit peccatum posse delegare iurisdictionem absolvendi ab illo. Tamen de superiore, verbi gratia, Summo Pontifice dixerunt aliqui non posse iurisdictionem hanc delegare circa peccata reservata ab inferioribus Episcopis sine consensu illorum, quia diuino iure habent potestatem reservandi sibi peccata, qua priuarentur per illam delegationem. Ita refert Nauarr. capite 27. numero 263. Sed est error manifestus; primo contra Summi Pontificis potestatem, & contra rationem: nam: quidquid potest Pontifex per se ipsum absolvere sine consensu inferioris, potest etiam per alium, cui committat vices suas, absque eiusdem consensu. Vnde Episcopus, licet possit reservare sibi respectu eorum, quibus ipse iurisdictionem dat, vel ab ipso pendent, non tamen respectu superioris, vel eius qui ab eodem superiore iurisdictionem recipit. Ad cognoscendum vero quando potestas hæc delegatur, verba concessionis diligenter aduertenda sunt: nam per illa indicatur voluntas delegantis, à qua efficacia huius concessionis pendet:

Solent autem circa hoc dubitare auctores, quibus verbis intelligatur superior concedere hanc iurisdictionem, id est, an oporteat semper in speciali declarare concedere potestatem super reservata, vel sufficiant aliqua generalia verba. Quod tractat late Nauarrus capite 27. numero 261. & D. Antonin. 3. part. tit. 17. cap. 13. Sed in hoc vix potest generalis regula assignari, sed prudentia vitandum est: & si concessio fit ore ad os, curandum est, vt superior satis explicet mentem suam: si autem concedatur ex privilegio, seu quomodo cunque in scripto, consideranda sunt verba, & iuridice interpretanda. Itaque si solum faciat facultatem audiendi confessiones subditorum, & absolvendi illos, non concedit casus reservatos, vt declaratum est in capite, Si Episcopus, de Pœnit. & remiss. in 6. quia in generali verbo non intelliguntur specialia concessa. Et ex eodem principio dicunt dicti auctores, licet Episcopus dicat se concedere suam auctoritatem, & potestatem, non tamen concedere casus reservatos: se-

cus vero esset si prius concedat aliquem casum reservatum, & postea generaliter addat, & omnem meam potestatem: quia specificatio antecedens explicat generale verbum subsequens. Et idem est, si post tale verbum generale recipiat vnum, vel alium casum: nam illa exceptio firmat generalem regulam, seu explicat generalem illam concessionem extendi ad alios casus. Denique, inquit Nauarrus, si Episcopus concedat facultatem absolvendi à censuris reservatis, non omnino concedere potestatem absolvendi ab omnibus peccatis reservatis: quia hæc duo distincta sunt, & respectu Episcoporum non semper sunt coniuncta. Quod quidem verum est ex vi verborum: semper tamen ex circumstantiis, & ex antecedentibus, & consequentibus iudicanda, & intelligenda est intentio concedentis. Nam, licet in foro contentioso præcisè standum sit ipsis verbis: tamen in foro vbi de veritate rei agitur, quomodo cunque factis constat de intentione concedentis, sufficit vt etiam dicti auctores adnotarunt.

Atque hæc, quæ diximus de concessione iurisdictionis directe facta confessori, cum eadem proportionem locum habent in facultate concessa poenitentem ad eligendum confessorem: quia, si generatim solum detur, & non sufficienter, ac specialiter explicetur dari cum extensione ad reservata, illa non comprehenditur, imo de hac facultate expresse loquitur dictum cap. Si Episcopus. Hinc vero orta est controuersia inter auctores de illo speciali casu, in quo subditus vnius Episcopi, iter agens per illam diocesim, confiteri potest ex tacita facultate, consuetudine introducta, confessoribus illius Episcopatus, an possit ab eis absolui à casibus reservatis suo Episcopo: nam de casibus reservatis Pontificis nulla est questio: nam quoad hæc perinde est siue aliquis in alieno, siue in suo Episcopatu confiteatur. Aliqui ergo absolute negant posse absolui ibi ab huiusmodi casibus. Quod tenet Sorus d. 18. q. 2. ar. 4. & indicat Nauarrus in capite. Placuit, de Pœnitent. d. 6. n. 63. Fundamentum est, quia in generali facultate non comprehenduntur casus reservati, iuxta dictum cap. 2. de Pœnitentia, & remissionem in 6. illa vero facultas tantum generalis est. Nihilominus contraria sententia mihi magis probatur, quam tenet Caiet. in Summ. verb. Absolutio, 2. Palud. d. 17. q. 3. D. Anton. 3. part. tit. 17. cap. 4. Fundamentum est, quia illa, qui sic versatur in alieno Episcopatu, non ideo ibi confiteri, & absolui potest, quia vtitur facultate eligendi confessorem, sed quia hoc ipso, quod versatur in alieno Episcopatu, potest ibi absolui more incolarum illius diocesis, & ita se gerere, ac si esset subditus Episcopi illius loci. hoc enim sensu intelligi debet consuetudo supra declarata, & ab Eugenio 4. approbata. Quia confessores alterius diocesis non tenentur scire quinam casus reservati sint alteri Episcopo: ergo debent hunc audire, & iudicare iuxta ritum sui Episcopatus: ergo & facultas ab alio data, seu consuetudo, quæ in hac parte præualuit, in hunc modum interpretanda est.

Vnde fit, huiusmodi poenitentem posse in primis absolui ab Episcopo illius loci, deinde etiam ab illis confessoribus, qui ab illo habent facultatem absolvendi à reservatis. Quod etiam confitetur Nauarrus in Summa cap. 17. n. 261. admittens fundamentum huius sententia. Vnde ab his indifferenter absolui poterit à casibus tam reservatis in suo Episcopatu, quam à reservatis in eo, in quo versatur: ab illis quidem, quia ex vi illius reservationis talia peccata ibi non sunt reservata: ille autem iudicandus est secundum ritum diocesis, in qua confitetur: ab his vero, quia supponimus confessorem esse, vel ipsum Episcopum talis diocesis, vel alium sacerdotem ab illo habentem facultatem absolvendi à casibus ipsi reservatis.

Antiphrasi
abfolui ab
seruatis in
alio Episcopatu.

Aliquam
opinor.
Soro
Nauarr.

Contraria
sententia
Caiet.
Palud.
D. Anton.

At

At vero, loquendo de communibus confessoribus non habentibus facultatem circa referuata, vt consequenter loquamur, distinguere opus est. Aut enim peccatum est referuatum in vtroque Episcopatu: & tunc omnes fatentur non posse remitti à tali confessore, quia à neutro Episcopo habet delegatam iurisdictionem, vt constat. Vel peccatum est referuatum in propria diocesi penitentis: non vero in ea, in qua versatur: & tunc etiam censemus posse ibi absolui ab his ordinariis confessoribus, contra Sorum, & alios: quia talis penitens indicandus est vt incola illius diocesis, & iuxta forum eius. Vel denique peccatum est referuatum in illo Episcopatu in quo penitens confitetur, non aut in suo, & tunc aliqui putant referuacionem non comprehendere culpam huius penitentis, quia non est subditus talis Episcopi. Contrarium vero consequenter dicendum est, vt bene Caietanus & alii docent: quia, licet illi aliam non sit subditus, tamen tunc iudicatur vt subditus, & vt incola illius loci: ergo iuxta modum, & iurisdictionem ibi concessam. Item quia, vt iusta sit concessio, debet esse vt inque æqualis: & qui liberatur vno onere, debet sentire aliud, quod ex illo sequitur: sed talis persona potest absolui à quocumque confessore de peccatis referuatis à suo Episcopo, si ibi referuata non sint: ergo è conuerso à peccatis ibi referuatis non poterit ab eisdem absolui, etiam si referuata non sint à suo Episcopo. Oportet ergo vt ab Episcopo loci, vel ab habente illius facultatem absoluator.

SECTIO II.

Quam habeant iurisdictionem ad absoluenam à referuatis per generalem delegacionem.

Ex consuetudine non acquiritur iurisdictionem absoluenam à referuatis.

TRibus modis intelligi potest delegari hæc iurisdictionem, scilicet ex concessione hominis, ex consuetudine, & à iure. Duo priores modi ad factum solum spectant, & ideo vix possunt sub scientiam cadere: sed in primo obseruanda sunt quæ diximus circa verborum formam, & propriam significacionem, quibus hæc delegatio fieri solet. De facilitate autem, vel modo seruando in concessione huius facultatis seu delegacionis, dicam inferius. Ex consuetudine vero nunquam credimus introducum esse, vt acquiratur iurisdictionem ad absoluenam à referuatis seu facultas eligendi confessorem, qui ab illis possit absolue: tum quia talis consuetudo directe esset contrariareferuacioni, eamque enervare: tum etiam, quia supra ostensum est, contra voluntatem superioris non posse acquiri iurisdictionem in hoc foro, aut facultatem eligendi confessorem: vbi autem facta est referuatio, satis est declarata voluntas superioris, vt nemo à tali peccata absoluat sine sua facultate: ergo non potest contra hanc voluntatem consuetudine præscribi. Potest quidem fortasse fieri, vt peccatum, quod antea referuatum erat, per oppositam consuetudinem fiat non referuatum, de quo infra dicam, quod autem, stante referuacione, consuetudine acquiratur facultas obtinendi absolucionem ab illo sine licentia superioris, non intelligitur qua ratione fieri possit: atque ita nulla talis consuetudo hæcenus introducta est, aut ab auctoribus refertur. Duæ namque afferri solent: vna est de peregrinis, seu ite agentibus, qui ex consuetudine absolui possunt. Sed de hoc iam diximus illam non esse facultatem absoluenam à referuatis, sed esse veluti mutationem quandam domicili ad tempus, pro quo talis persona quoad referuacionem sequitur forum illius diocesis, in qua versatur. Alia consuetudo est de casu necessitatis: sed, vt infra dicam, potius talis casus exceptus est in ipsamet referuacione, Fr. Suarez tom. 4.

A Per solam ergo consuetudinem nunquam delegatur hæc iurisdictionem.

Circa delegacionem à iure duo puncta tractanda occurrunt. Primum est circa facultatem concessam Episcopo in Concilio Trid. sess. 24. c. 6. ad absoluen- dum à casibus referuatis Sedi Apostolicæ, si occultati sint. Illa enim facultas iam nunc à iure data est per hæc verba, *Licet Episcopus, &c. in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ referuatis, delinquentes quoscumque, sibi subditos, in diocesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientie gratis absolue, imposita penitentia saluari.* Idem & in hæc crimine in eodem foro conscientie eius tantum, non eorum Vicarius sit permissum. Circa quod ius primo declarandum occurrit quod crimen hoc loco dicatur occultum. Ad quod breuiter dico, hic sumi prout in iure solet distingui à publico: est autem publicum quod in oppido, vel in vicinio, vel in Collegio, aut communitate aliqua omnibus notum est, vt publicè diffamatum. Vnde licet sit notum aliquibus, potest dici occultum, quandiu peccator non laborat publica infamia, vt bene docet, & late probat Nauarr. c. 27. n. 254. & 255. Quæri vero potest, an si peccatum sit alicubi publicum, ibi vero, vbi absolutio petitur, sit occultum, an per hæc facultatem absolui possit. Et ego existimo non posse: nam quod alicubi publicum est, simpliciter est publicum, & non occultum; & præsertim moraliter & regulariter loquendo, quod in aliquo loco est publicum, ad alia loca facile defertur.

Dubium circa Trid.

Hoc loco quod crimen dicatur occultum.

Nauarr. Dubium soluitur.

Secundo est notanda illa particula, *Subditos suos.*

Circa quam dubitari potest, an peregrini, qui sunt in alio diocesi, scholastici, & mercatores, vel vagabundi possint per hanc facultatem absolui ab Episcopo illius diocesis: & idem quæri potest de religiosis exemptis. Et ratio dubii est, quia isti non videntur subditi Episcopo, vel quia exempti sunt, vel quia alterius Episcopatus. Responderetur, quoad vagabundos non est dubium quin absolui possint, quia non habent alium Episcopum proprium, & ita sunt subditi. De iis vero, qui per aliquam partem anni habitant in aliquo Episcopatu, & ideo sacramenta recipiunt in illo Episcopatu, existimo etiam posse absolui: quia quodammodo etiam habent domicilium in eo Episcopatu, & ita sunt subditi. De illis vero, qui solum agunt iter, & facile redibunt ad suam diocesim, res est magis dubia. Nihilominus non audeo illis negare hanc facultatem, quia, vt dixi, pro tunc sunt subditi in hoc foro, & ex consuetudine seu interpretatiua voluntate suorum prælatorum se habent vt incolæ illius diocesis. De religiosis autem exemptis quidam negant, propter rationem factam: sed ego video praxim esse in contrarium, præsertim in casu hæresis occultæ. Vnde, quantum istæ personæ sint exemptæ; tamen si ex licentia suorum prælatorum, à quibus in aliquo casu, absolui non possunt, accedat ad Episcopum illius diocesis, absolui ab illo poterunt: tum quia iam efficiuntur subditi in illo foro: tum etiam: quia licet religiosi sint exempti, tamen dum habitant in aliqua diocesi, aliquo modo, & quoad aliqua sunt subditi: & præsertim quoad fauorabilia nomine *subditorum illius diocesis* comprehendendi poterunt. Et propterea forte illa alia particula, *illius diocesis*, addita est: non enim censeo esse necessarium, vt absolutio localiter, vt ita dicam, intra suam diocesim conferatur: quia, vt sæpe dixi, in administratione huius sacramenti attendenda est iurisdictionem super personam, magis quam circa locum ipsum. Posita ergo videtur illa particula ad comprehendendos omnes inferiores in diocesi habitantes, seu residentes, quatenus in hoc foro subduntur Episcopo.

Dubium.

Deciditur.

Tertio explicandum est nomen *Episcopus*, sub quo certum est comprehendere Episcopum electum, & confirmatum, licet consecratus non sit: quia ea, quæ sunt iurisdictionis, plene habet, iuxta ca. *Transmissa*,

cum ibi notatis de Electione. Deinde probabilius est comprehendere Capitulum Sede vacante, quod ea, quae fieri possunt per Vicarium ad hoc specialiter deputatum: quia Capitulum succedit in iurisdictione Episcopi, iuxta commune ius, cap. *Hu quo*, & cap. *Cum olim*, de Maior. & obediens. quod in particulari de potestate absolventi declarat Gloss. in capite secundo. Ne Sede vacante, aliquid innouet. in ca. vnic. de maiorit. & obed. in 6. Item Gloss. extra ibi in cap. *Ad abolendam*, de Hæreticis, & Doctores eiusdem locis. Dices, hoc esse verum de iurisdictione ordinaria: non verò de illa quae per speciale concessionem data est. Respondetur, quando hæc iure communi iam spectat ad munus Episcopi, etiam in illa succedit Capitulum, etiam si illud speciale sit, vt ex aliis notat Abb. dist. c. *Cum olim*. & cap. *At si clericus*, §. *De adulteris*, de Iudiciis, & cap. *Verum*, de Foro comp.

An Abbas exemplis nomine Episcopi comprehendatur.

De inferioribus autem Prælatibus habentibus iurisdictionem Episcopalem, vt sunt Abbates exempti, & similes, dubitatum est. Nam videntur etiam comprehendere: tum propter eandem rationem ex iurisdictione sumptam: tum quia iam hi casus non censentur reservati Papæ: & ideo sub generali iurisdictione Episcoporum comprehenduntur. Maxime quia hoc decretum non censetur ius nouum exorbitans ab antiquo, sed potius reducens ius ad suam antiquitatem, & quasi naturalem statum, quem habebat seclusa reservatione. Accedit tandem, quod essent peioris conditionis, fideles subditi his inferioribus prælatibus, qui nulli subduntur Episcopo, & habent proprium territorium, quod non est veluti pars diocesis alicuius Episcopi, sed quasi diocesis distincta: illi enim ab Episcopis vicinis absolui non poterunt, quia non sunt subditi illorum, nec de sua diocesi, & decretum expresse dicit *sibi subditos*, & in diocesi sua, nec etiam poterunt absolui a proprio prælato, seu Abbate, si in hoc decreto non comprehenditur: non ergo esset illis sufficienter prouisum, essentque peioris conditionis, quod verisimile non est. Hæ rationes videntur facere partem hanc multum probabilem.

Resolutio.

Nihilominus inuenio quandam declarationem Cardinalium in contrarium, quæ circa particulam illam, *Licet ab Episcopis*, sic habet, *In hoc decreto non comprehenduntur inferiores habentes iurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem, sed tantum Episcopi privati, quoad omnes alios.* Ratio esse potest, quia hæc facultas censetur data Episcopis iure speciali, & intuitu talis personæ pollentis tanta auctoritate & dignitate, & ideo non est extendenda ad alios non Episcopos, etiam si alias habeant communem iurisdictionem Episcoporum. Item quantum hoc decretum videatur continere fauorem, tamen ex ea parte, qua in rebus adeo grauibus mitigat rigorem ad disciplinam Ecclesiasticam suo modo necessarium, potest nocere, si nimium extendatur, & ideo proprietati verbi strictè sumpti standum censetur. Nec sequitur detrimentum aliquorum fidelium, quia semper territorium exemptum contentum est sub diocesi alicuius Episcopi, respectu cuius censebantur subditi omnes ibi habitantes, quoad hos casus, etiam si quoad ordinariam iurisdictionem habeant aliquem ordinarium prælatum. Vbi etiam considerari potest quod si hæc lex censetur exorbitans ab antiquo iure, restringenda est: si verò reducit casus hos ad statum iuris antiqui, eadem ratione censetur reducere illos ad eum statum, in quo iure ordinario esse deberent proprii Episcopi, seclusa omni existimatione, quæ non pertinet ad ordinarium ius, sed ad exceptionem potius ab illo. In re ergo dubia securum est adhærere prædictæ responsioni.

An prælati religionum

Hinc vero nascitur dubium: nam sequitur idem esse dicendum de prælatibus religionum respectu suorum subditorum, quia non sunt Episcopi, licet in

eos habeant iurisdictionem quasi Episcopalem. Cõsequens est contra quandam declarationem Pii V. in breui quodam dato ad petitionem cuiusdam provincialis in hæc verba, prout refertur. *Exponit nuper fecit dilectus filius Prior Provincialis provincia Hispaniæ ordinis fratrum Predicatorum, &c. Et in super, quia sacrum concilium generale Tridentinum concessit Episcopis, vt absoluerent in foro animæ seu conscientie ab omnibus peccatis, & dispensare in irregularitatibus, prout sess. 24. c. 6. habetur; ne Prior Provincialis, & superiores prælati dicti ordinis tam in dicta provincia, quam extra eam vbi libet in hac parte deteriori conditionis, quam clerici, aut seculares existant, eisdem Priori conuentualis, & superioribus prælatibus, vt ipsi per se ipsos idem omnino possint in fratres, & moniales dicti Ordinis sibi subditos, quoad absolventi, & dispensandi huiusmodi, quæ alias quasunque facultates, eisdem auctoritate, tenore etiam perpetuo, concedimus, & indulgemus, atque etiam declaramus præfentes litteras perpetuo durare & valere. Nihilominus quantum est ex vi Concilii idem de his prælatibus religionum dicendum censeto, quia est omnino eadem ratio, & verba prædictæ responsionis Cardinalium æque eos comprehendunt. Et hoc ipsum colligo ex prædictis verbis Pii V. non enim declarat Concilium iurisdictionem ad hos Prælatos extendi, sed ipse illam extendit, vt patet ex illis verbis, *Quia sacrum Concilium concessit Episcopis*, vt quæ ad illa, eisdem auctoritate præfensium concedimus: non ergo declarat Concilium concessisse, sed quod Concilium concessit Episcopis, ipse concedit his prælatibus: potius supponit, Concilium solis Episcopis hoc concessisse: igitur ex vi Concilii non possunt, ex vi autem illius concessionis, si de illis satis constat, poterunt tamen Prædicatores, & quam alii, qui cum eis in priuilegiis communicant. Secluso autem tali priuilegio, absolui possent religiosi ab his casibus occultis ab Episcopis, in quorum diocesis habitant: nam quoad hæc fauorabilia illis subiecti censendi sunt.*

Item dubitari potest, an Archiepiscopus habeat hanc facultatem in diocesi suffraganei saltem dum visitat, nam quando non visitat, certum est non habere, quia tunc non habet iurisdictionem: at verò dum visitat, habet iurisdictionem, & videtur habere illam Episcopalem, in id & quodammodo superiorem Episcopo: vnde verisimilius est posse tunc absolueri a casibus reservatis tali Episcopo: ergo & eadem ratione videtur ei concessa hæc facultas, pro illo tempore, atque adeo illam diocesim censeri tanquam suam pro tempore visitationis. Et hæc sententia videtur mihi valde probabilis.

Vltimo notanda est differentia, quam Concilium facit inter peccatum hæresis, & reliqua: quia ab hæresi occulta solum potest absolueri Episcopus per seipsum, saltem quoad censuram, nec potest alteri delegare hanc facultatem: at verò à cæteris peccatis potest absolueri per seipsum, vel per Vicarium ad hoc specialiter deputatum. Quod intelligo, vel oblata occasione, seu proposito aliquo casu particulari, committendo alicui vices suas circa talem casum, vel certe generaliter committendo alicui vices suas quoad hoc speciale munus absolventi ab his casibus; nam utroque modo verè dicitur Vicarius ad hoc specialiter deputari, quod requirit Concilium.

Hic vero specialiter dubitatum est, an hæc facultas data Episcopis circa peccatum hæresis, reuocata sit per Bullam Cænz Domini (quod de omnibus casibus Cænz queri potest) nam in illius fine additur, vt ab illis casibus nulla persona Ecclesiastica, etiam Episcopali, vel maiori dignitate prædita, absolueri possit prætextu cuiuscunque facultatis, etiam per cuiusvis Concilii decretum in genere, vel in specie concessa. Videntur enim hæc verba ad expressa: vt non possit de dicta reuocatione dubitari. Nihilominus Nauarr.

in Sum.

in Sum. cap. 27. num. 260. in contrariam partem inclinare videtur ex quodam iuris principio quod lex specialis non derogatur per generalem, etiam si hæc posterior sit. Quod probat ex quadam Gloss. & quibusdam aliis iuribus. Vnde concludit generalem illam clausulam Bullæ Cœnæ limitandam esse per aliud decretum Concilii Trid. scilicet, vt non procedat in casibus occultis, de quibus specialiter Tridentinum loquitur, sed in aliis casibus generaliter. Et confirmari hoc potest ex tenore cuiusdam Motus proprii Sixti V. contra malè promotos, vbi in clausula reservationis, & reuocationis facultatum, ad absolendum, post generalem reuocationem omnium facultatum, etiam concessarum Episcopis per decreta Concilii Tridentini, subditur, *Et ius criminis penitus occultum fuerit*. Quibus verbis infinuatur, reuocationem generalem Concilii non comprehendere casum occultum, nisi exprimitur.

Nihilominus contraria sententia videtur tutior, & tenenda. Primo, quia vix inuenitur alia facultas in Conciliis concessa, quæ possit per illam clausulam reuocari, & ideo maxime videtur posita propter hoc decretum. Secundo multum videtur vrgere illa verba, *in genere, vel in specie concessorum*: nam per ea declaratur, non tantum reuocari vniuersales facultates, sed etiam illæ, quæ ad speciales casus concessæ sunt, propter quod videtur, non habere locum principium illud, in quo Nauarrus fundatur. Tertio, quia idem Nauarr. refert ipsum Pontificem non permittere Episcopis absolueri a casu hæresis etiam occulto; intelligit ergo illam facultatem esse reuocatum: non enim ipse alia via reuocat: Denique hoc ipsum declaratum inuenio à Congregatione Cardinalium his verbis, *Episcopus absolueri non potest hominem hæreticum in foro conscientie, licet hæc facultas à Concilio sibi concessa*. Sed de hac re iterum occurret sermo in tomo sequenti circa Bullam Cœnæ, & circa materiam irregularitatis.

Aliud vero dubium circa hoc decretum, propositum legitur in congregatione Cardinalium, scilicet, an hoc decretum locum habeat in casibus post Concilium Trid. ex noua lege Sedis Apostolicæ reservationis. Responso autem, quæ ad nostras manus fide digna auctoritate peruenit, sic continebat S. D. N. Gregorius XIII. *audita relatione Congregationis, respondit, non habere locum*. Quod si his verbis significetur Summum Pont. quasi nouum quoddam ius hoc statuisse, nihil est quod amplius queramus: si autem illa solum est declaratio iuris Concilii, videtur profecto valde difficilis. Nam in primis restringit fauorabile decretum, sine cogente fundamentum, quod nobis occurrit. si enim aliquid esse potest, maximè est, quia reservatio subsequens videtur eximere casum illum ab omni potestate prius concessa: vel quia Concilium de præterito loquitur de casibus reservationis: non etiam de casibus referuandis: vel quia per reservationem subsequentem derogatur Concilio. At hæc & similia non cogunt.

Quod sic declaro: quia Concilii mens videtur fuisse ponere regulam generalem, & quasi ordinariam ius circa reservationes Pontificias, vt scilicet intelligantur esse de criminibus publicis: de occultis vero non omnino, sed cum moderationibus positis in hoc decreto: non ergo tantum reservationes priores ad hanc formam redactæ sunt, sed etiam omnes subsequentes sub illa fieri intelliguntur: ergo etiam in illis habet locum hoc decretum. Antecedens suadetur: tum quia optime potuit lex illa hoc sensu constitui, nihil enim repugnat, cum Pontificia auctoritate fieret, & confirmaretur: tum etiam, quia ratio legis eadem est in casibus antea reservationis, vel quocumque tempore referuandis: cur enim maior debet esse nunc restrictio in nouis reservationibus, quam in antiquis? vel si in his expedit, vt facultas etiam casus occultos sit in Episcopis, cur non in o-

Fr. Suarez tom. 4.

mnibus? Itaque non est cur casus denuo reservatus censetur exemptus à potestate prius concessa, quia sub tali forma reservatur. Deinde verba Concilii hunc sensum admittunt: nam quoad suspensiones, & irregularitates absolute loquitur de omnibus, & delicto occulto prouenientibus, quæ verba generalia sunt, siue proueniant ratione legis antiquæ, siue nouæ. Eodem ergo sensu loquitur de absolutione à casibus reservationis, quos ita nominat, vel quasi per participationem iuxta communem appellationem; vel quia reservati dicuntur, non respectu temporis, quod editum est Concilium, sed respectu temporis quo de illis danda est absolutio. Denique sicut hic sensus fauorabilior est, & satis proprius, ita videtur communi consuetudine receptus & approbatus.

Quapropter quandiu de mente Apostolicæ Sedis certius non constiterit, & sub illius censura videtur probabile responsum illam supra citatam, intelligendam esse de casibus postea reservationis cum aliqua clausula, aut verbis sufficientibus, per quæ huic decreto derogari videatur, qualia essent si in ipsa reservatione expresse adderetur, etiam in casibus occultis, at si adderetur clausula, non obstante quocumque decreto, etiam Concilii Generalis, vt additur in Bulla Cœnæ. At vero si simpliciter fiat reservatio, non existimo per clausulam generalem derogari speciali decreto Concilii generalis, sed reservationem intelligendam esse sub forma eius: Quod à fortiori sentit Nauarr. citato loco.

Vltimo inquiri hic potest, quid faciet Episcopus si contingat ipsum etiam labi occultè in aliquo ex huiusmodi casibus reservationis Papæ: potestne aliqua via frui hac gratia, seu facultate concessa à Concilio; vel erit in hoc peioris conditionis quam ceteri fideles, vt recurrendum illi sit ad Sum. Pontificem in quo clarum est ipsum non posse se absolueri. Dubium verò est, an quando ex privilegio iuris sibi confessorem elegerit, possit etiam hanc potestatem delegare, vt illa confessarius circa ipsum Episcopum videretur. Videtur enim non posse, quia Concilium dicit, *delinquentes quoscumque sibi subditos*: at ipse non est subditus sibi: ergo ex vi Concilii non est illi data hæc potestas pro se ipso: ergo nec potest illam delegare. Hoc dubium propositum fuit Romæ in Congregatione Cardinalium sub his verbis, *An Episcopo in aliquo delictorum, de quibus hoc capite, prolapsio, liceat ad se absolueri proprium confessarium deputare cum eadem auctoritate, quam ipse possit ex eodem capite in sibi subditos exercere*. Responsum autem fuit, *Congregatio censuit in Episcopo licere*. Non explicatur autem ibi vnde confessor sic electus habeat talem potestatem. Videtur ergo mihi probabile propter obiectionem factam ex verbis Concilii, non habere illam delegatam ab ipso Episcopo eligente ipsum, sed immediate à Papa, ex vi iuris communis. Nam ex vi huius decreti reservatio Papalis ablata est ab his casibus occultis. Et ideo respectu Episc. non reputantur vt reservati, sed vt comprehensa sub clausula generali eligendi confessorem. Accedit quod non debent Episcopi esse peioris conditionis: non ergo debent cogi in omnibus criminibus occultis ad Pontificem accedere. Habet autem hoc specialem difficultatem in crimine hæresis occultæ, etiam si supponatur nõ esse reuocata facultas in hoc Episcopo concessa circa alios: quia solum data est vt exercenda per ipsos: & ideo non videtur verisimile quod respectu personæ Episc. delegetur per Papam cuiuscumque confessor ab ipso electo. Ratio sane videtur vrgens, ideo si probabiliter dici potest, hunc casum respectu personæ Episcopi esse excipiendum: quia delegabilis non est alicui inferiori ipsi Episcopo. Nec mirandum est quod in hoc sentiat maius grauamen Episcopus, cum etiam tale delictum maximam habeat deformitatem: & si attente consideretur, in eo grauamine seruatur proportio, vt sicut in aliis sub proximo E-

Ll 2 pife.

11
Vna quæ
sit in re
lucio

Navarri
Fundamentum
dubium

12
Dubium
proponitur
& resoluitur.

13

14

15

Quid faciet
Episcopus
si occul-
te labi-
tur.

nis accedant. Cum enim exceptio firmet regulam, & Concilium expresse dicat, solum excipi articulum mortis, plane concluditur in omni alio casu reservationem manere integram, & consequenter nullum inferiorem ex vi ordinariæ iurisdictionis posse à talibus peccatis directe absolvere propter quamcunq; aliam occasionem occurrerem. Dico autem, directe, quia nunc non agimus de absolutione poenitentis, per quam indirecte tollantur hæc peccata; hoc enim postea videbimus: sed agimus de absolutione per se, & directa. Sic autem est evidens illatio, quia sine iurisdictione nullum peccatum potest directe remitti, durante autem reservatione, inferior non habet iurisdictionem, nisi à superiore concedatur. Exemplum simile esse potest de sacerdote simplici, qui extra articulum mortis in nullo casu potest absolvere à peccatis mortalibus, nisi aliunde ei concedatur iurisdictione. Et ideo addidi in assertione, exceptionem illam, *Nisi ex iure &c.* per quam excipiuntur casus Pontificij, in quibus generalis regula iuris est, Quoties non patet aditus ad Summum Pontificem, vel Legatum, aut Delegatum eius, nisi cum magna difficultate, & mora, posse peccatorem absolvi ab inferiore sacerdote: cum onere comparandi coram Pontifice. Quæ regula in materia de excommunicatione ex professo tractanda est.

Generalis
regula iuris
explicatur.

Nunc solum aduerto, in iure frequentius explicari de particulari reservatione facta in canone, *Si quis suadente*, ut viderelicet in *c. Mulieres*, & in *c. Eanascitur*, *c. Quamvis*, *c. De casero*, cum aliis de Sent. excom. auctores autem illam vniuersaliter intelligere. vel ex identitate rationis, quæ Pontificem mouit; non enim fuit aliqua ratio particularis inueta in vna reservatione potius, quam in alia, sed illa generalis, ne pro dilatione poenitentiae periculum immincat animarum, arguente ca. vi. de Poenit. & remis. in 6. & ne reservatio, quæ pro bono charitatis introducta est, contra charitatem vergat. Quæ ratio æque in omnibus peccatis mortalibus locum habet. Neq; in peccato violentæ percussiois clerici inuenitur aliquid, propter quod voluerint Pontifices lenire reservationem in illo potius, quam in aliis; imo semper peccatum illud maximo odio profecti sunt; & reservatio illius est antiquissima omnium, quæ à Pontificibus facta sunt. Vnde sumitur argumentum ab hac reservatione ad alias, tanquam à primo exemplari, quod est veluti metrum & mensura cæterarum. Vel denique fundari hoc potest in aliis iuribus, quæ generatim loqui videntur præsertim *c. Eos qui*, de Sent. excom. in 6. Atque ita sentiunt Nauar. c. 27. nu. 89. Syluest. verb. *Absolutio*, 4. n. 6. dub. 4. & verb. *Excommunicatio*, 8. §. 8. Estq; communis opinio iuris interpretum in citatis locis, ut ibi Sylu. refert. Ipse tamen excipit ab hac regula casus reseruatos in Bulla Cœnæ, & omnes illos, in quibus nullus potest absolvere, nisi in articulo mortis. Sed primum non dicitur consequenter, quia non est maior ratio de casibus Cœnæ, quam de aliis, nam ratio facta, quam diximus, mouisse Pontificem, æque in illis, atque in aliis procedit; nec prædicta declaratio iuris derogata est per Bullam Cœnæ. In altero vero videtur esse repugnantia: quia in omnibus casibus Pontificis tenor reservationis est, ut ab eis nullus absoluat nisi in articulo mortis: ergo, vel posita regula in omnibus his casibus locum habet, vel si illi excipiuntur, nunquam procedit: quia non est maior ratio de vno, quam de alio. Dices, Si in ipsa reservatione excipitur tantum articulus mortis, quomodo licet nobis excipere casum aliquem? Respondetur, quia ius ipsum ita ampliavit exceptionem illam, quia in diuturno tempore moraliter imminere potest periculum mortis. Et deinde articulo mortis excipitur, eo quod pro illo non fiat reservatio ex generali consuetudine: ideoque illa iam est veluti vniuersalis forma ferendi talem reservationem, quæ non ex-

Nauar.
Syluest.

Syluester
reprobatur.

Occurritur
obiectioni.

cludit alias concessiones seu delegationes ipso iure factas.

Vterius vero obseruare oportet, hæc facultatem iuris immediate dari ad absoluendum ab excommunicatione reseruata, quæ propter talia peccata ipso iure incurritur: & inde, iuxta regulam superius positam, consequitur ut tollatur reservatio culpæ, ac inde fit, ut confessor habeat iurisdictionem ad absoluendum directe à talibus peccatis, quia ablata censura, iam non manent reseruata, & propter hoc fuit maxime necessaria hæc declaratio; quia per se loquendo, & secundum iuris institutionem, non potest excommunicatus prius absolui à culpa, quam absoluitur à censura. Est autem notanda differentia inter culpam, & censuram, quod interdum vna culpa potest indirecte & concomitanter tolli per iurisdictionem & absolutionem circa aliam, propter connexionem quam mortalia peccata habent inter se in ordine ad remissionem: excommunicatio vero non potest tolli nisi per directam absolutionem & iurisdictionem: quia neq; inter se vna excommunicatio habet connexionem cum alia, neq; etiam cum culpa, quia potest vna excommunicatio remitti sine alia, & culpa sine excommunicatione, & e converso: ideoque non poterat quis absolui ab excommunicatione reseruata vno modo, nisi daretur à reseruante iurisdictione, & consequenter etiam non posset sacramentaliter absolui ab vlla culpa, etiam non reseruata, per se loquendo, & iuxta intentionem Ecclesie. Et ideo, ne absolutio poenitentiae sacramentalis nimium differretur, necessarium fuit pro eo casu concedere iurisdictionem ad absoluendum à censura. Hoc ergo est quod primario fit per hanc concessionem: ac propterea de illa fufius agere pertinet ad materiam de excommunicatione, vbi specialiter traçta de canonem. Si quis suadente, declarabimus quare debeat esse impedimentum ad eundem Pontificem, sufficiens ad hanc executionem. Item sub Pontifice comprehendendi legatum eius, seu qui vices eius gerit, ut si ad illum pateat recursus, non possit absolutio ab alio dari. Item sæpe necessarium esse recurrere ad Episcopum priulquam ad inferiores, si fieri possit, quia iura ipsa hoc declarant. Ac deniq; tractabitur quomodo post absolutionem obtentam recurrendum sit ad Pontificem per se, vel per alium.

Difficultas vero superest, an hæc regula locum habeat in casibus reseruatis aliis prælatis inferioribus, in his præsertim, qui non habent censuram annexam de his nihil iura disponunt: nec Doctores communiter hanc extensionem faciunt. Imo eam videtur negare Durand. d. 17. q. 15. & Adrian. in 4. materia de Confessione q. 4. Neq; argumentum à simili est sufficiens in re tam graui, maxime cum in duobus interueniat tam magna differentia. Vnum est, quia respectu Summi Pontificis, aditus ad illum, moraliter & regulariter loquendo, ex multis causis potest esse difficilis & ideo oportuit ut communi iure pronisum esset aliquod remediū pro huiusmodi euentu, quia leges humane dantur de his rebus, quæ frequentius accidunt: respectu vero inferiorum Prælatorum raro cõtingit frequenter aditus esse ita difficile, & ideo necessarium non fuit cõmune ius ad illos extendi. Secundo, casus Pontificis semper habent excommunicationem annexam qua ablata aufertur reservatio culpæ: per hanc autem concessionem proximè datur iurisdictione ad absoluendum ab excommunicatione sub onere comparandi: alij vero casus inferiorum Prælatorum sæpius non habent excommunicationem annexam; & si aliquando habent, non statim aufertur reservatio, licet tollatur excommunicatio, quia hæc duo non sunt ita cõiuncta in his casibus, sicut in Pontificis. Fateor nihilominus has duas consideraciones non omnino cogere. Nam quod ad posteriorē attinet, licet verū sit iura loq. de peccatis, quibus est imposita excommunicatio: tamen non

Differentia
inter culpam
& censuram.

Difficultas
circa regu-
lam superius
positam
Durand.
Adrian.
& refertur
argum. est
à simili.

de sola

de sola excommunicatione, sed de toto casu intelligenda sunt, & simpliciter committunt inferiori absolutionem à censu, & à culpa; imò absolutionem à censura, committunt propter absolutionem à culpa: & ideo quantum est ex vi & intentione tali iurium, non videtur necessarium ut dispositio eorum procedat, quod peccatum habeat excommunicationem annexam. Vnde, si Pontifex nunc referuet casum sine excommunicatione, ut de Sixto V. supra attulimus; sine dubio de illo casu Pontificio quoad hunc articulum perinde iudicandum est, ac de aliis habentibus impositam excommunicationem: quia iura absolute concedat beneficium absolutionis in prædicto euentu: nec videtur rationi consentaneum, ut propter excommunicationem adiunctam facilius sit absolutio, quam sine illa. Rursus quauis difficultas comparandi eorum superiore frequentius accidat circa Summum Pontificem, quam circa inferiores prælatos, nihilominus negari non potest, quin sæpe possit cōtingere cum animarum periculo propterea ex dilatione pœnitentiæ: ergo, quauis Pontifices illud ius statuerint occasione casuum sibi referuatorum; tamen considerata eorum ratione, verisimiliter credi potest statuisse generale ius seruandum in omni casuum reservatione.

12
Difficultas soluitur.

Sed, licet hæc videantur rem facere dubiam, nihilominus, in re morali, & adeo graui non possumus hanc licentiam dare sine maiori fundamento. Et ideo absolute dicendum censeo, inferiores sacerdotes non habere iurisdictionem in hos casus referuatos extra articulum mortis ex vi iuris communis; quia Pontifices solum loquuntur de casibus sibi referuatis, in quibus est specialissima ratio, quæ iam tacta est. Et præterea declarari potest, quia ad curam ipsorum Pontificum pertinet, iurisdictionem hæc in suis casibus committere: in inferioribus autem Prælatibus non fuit necessarium hoc statui iure communi, sed sicut ab eis reservatio fit per statuta particularia, vel diocesana, vel religionum; ita eorum eurg, & prudentiæ committitur, ut eam faciant modo accommodato salutis animarum: ideoq; in huiusmodi statutis fere semper declarari solet, ut quoties fuerit diffinilis aditus ad prælatum, possit aliquo modo obtineri ab aliis absolutio, ne nimirum pœnitentiæ differatur. Et ideo addidi in prædicta exceptione, nisi à iure, vel per aliam declarationem referuatis iurisdictione concedatur. Prior enim particula, à iure, posita est propter casus Pontificios: posterior vero propter reliquos. Et huius sententiæ non parum fauet Conc. Trid. Nam si iure communi vel consuetudine esset concessa huiusmodi facultas omnibus ordinariis confessoribus, Concilium non tam absolute dixisset extra articulum mortis sacerdotes nihil posse in casus referuatos: quod tamen non limitauit in casibus Pontificiis, quia vel illi non sunt aliter referuati, quam in iure explicatum sit, & locutio Concilij intelligenda est cum distributione accommodata, scilicet, nihil posse in singulos casus referuatos, eo modo, quo referuati sunt: vel certe nullam exceptionem fecit de casibus Pontificiis, quia in eis facta est in iure, propter excommunicationem, quæ regulariter habent annexam. Denique cum constet iurisdictionem esse sublatam per reservationem, & nullo fundamento sufficienter constet esse restitutam pro his opportunitatibus, non possumus id asserere, propter solas congruentias, quæ ostendunt quidem esse congruum, si hæc, non tamen ostendunt factam esse, cum hoc pendeat ex voluntate concedentis.

SECTIO III.

Vtrum debeat superior facultatem concedere subdito petenti, ut possit ab aliis absolui à casibus referuatis.

Postquam dictum est de iurisdictione commissa sacerdotibus, superest, ut dicamus de eadem iurisdictione, ut concedi solet per facultatem datam pœnitenti ad eligendum confessorem. Circa quam non est dubium quin possit superior, ad quem proprio iure pertinet absolutio ab his casibus, hanc facultatem dare suo subdito, & quin sacerdos ex vi talis facultatis legitime electus, possit absolvere à casibus huiusmodi Prælati referuatis. Nam per talem facultatem iurisdictionem accipit. In quo eadē est ratio de hac facultate, & de illa quæ datur ad eligendum confessorem de aliis peccatis, seruata proportione. Vnde hic obseruanda sunt omnia, quæ supra in disputatione de hac facultate diximus, addendo ea, quæ in sect. 2. huius disput. dicta sunt de sufficienti expressione, & extensione huius facultatis ad casus referuatos, quia verba generalia non sufficiunt. His ergo positis, duo principalia dubia declaranda hic occurrunt. Primum est, an Superior non solum possit, sed debeat, & teneatur hanc facultatem dare subdito petenti. Aliud est, an debeat dare hanc facultatem absolute, vel possit eam dare imponendo aliquod onus. De primo in hac sectione, de secundo in sequenti dicemus.

Circa primum duæ possunt esse extreme sententiæ. Prima absolute negans teneri vnquam pastorem ad hanc facultatem concedendam. Quæ fundari potest in verbis citatis Concil. Trid. *Extra quem articulum sacerdotes, cum nihil possint in casibus referuatis, id vnum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores, & legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant.* Expendo enim in primis illam particulam, *id vnum* nam certe, si subditus habet ius exigendi à superiore prædictam facultatem, & ipse eam concedere tenetur, vix poterit confessor tuadere pœnitenti ut ad superiorem accedat, sed potius ipse pœnitens potest persuadere confessori, ut suo nomine, quauis in particulari tacito, facultatem exigat, quam superior tenetur ei concedere. Deinde expendo illam particulam, *Legitimos iudices*: quia iudex legitimus alicuius causæ, nulli iniuriam facit, si per se velit eam iudicare; neq; tenetur eam alteri committere, si ipse sit idoneus iudex, ut supponimus, sed superior in hac causa se habet ut legitimus iudex, ut Concilium

2
Prima sententia negans.

asserit: ergo. Atque hæc opinio potest tribui Victorix in Summa 4 n. 147. de Confessione, quatenus ait, quado non interuenit specialis causa rationabilis extrinseca, & quasi per accidens, sed solum illa intrinseca difficultas, quam secum affert confessio, nimirum erubescencia confitendi cum superiore, aut timor amittendi apud illum bonam opinionem: non teneri superiorem ad dandam hæc facultatem. quia alias nunquam homo teneretur confiteri suo pastori. Et in eandem sententiam citari potest Nauarrus, qui fere idem dicit in Summa, capite septimo num. 8. & in cap. *Placuit*. de Pœnit. d. 6. n. 149. & 150. quia nullus, inquit, est lex, neque ratio, quæ conuincat excusari tunc pœnitentem ab obligatione confitendi suo superiori: sic dicimus nullam esse rationem, neque legem, quæ conuincat teneri superiorem ad dandam hanc facultatem. Denique communiter Doctores asserunt; non teneri proprium pastorem ad dandam subdito facultatem confitendi alicui, nisi ex legitima causa petatur, ut videre licet supra c. *Omnis vtriusque sexus*: hoc enim necesse est intelligi de causa, quæ non sit intrinseca ipsi confessioni; alioqui semper illa facultas haberet causam iustam: ergo, per se loquendo, & seclusis causis extrinsecis, quæ sunt per accidens, non tenetur proprius sacerdos dare hanc facultatem; ergo neque in præsentem tenetur: est enim eadem proportionalis ratio. Præsertim, quia alias reservatio nullius esset momenti, si superior teneretur hanc facultatem concedere, quia hoc fere nullum onus est pœnitentium, præsertim si per alium facultatem petant; & ita reservatio nihil

Victoria.

Nauarrus.

confert ad coercenda vel curanda peccata, qui est finis reservationis.

3
Secunda
sententia
affirmati-
ua.

Secunda sententia est, per se loquendo, & seclusis extrinsecis incommodis, teneri superiorem ad hanc facultatem concedendam. Quæ videtur Sumi ex D. Thom. Opuscul. 19. contra impugnantes religionem, & in 4. d. 17. q. 3. art. 3. q. 4. ad 6. ubi ait: peccare superiorem, qui difficilem se præbet in danda hac facultate. Et subdit rationem, quia multi sunt ad eum infirmi, quod potius sine confessione morientur, quam tale peccatum tali sacerdoti confiteantur. Unde illi inquit: qui sunt nimis solliciti, ut conscientiam subditorum per confessionem sciant, multi laqueum damnationis iniiciunt, & per consequens subijciunt. Quod dictum D. Thomæ reliqui autores sequuntur. Sot. d. 18. qu. 2. art. 5. Ledesma 2. p. 4. qu. 7. art. 5. Victoria supra n. 146. Syluest. verb. Confessor, 1. Angelus Confessio, 3. nu. 31. Armilla verb. Confessio, nu. 35. Nau. dict. c. Placuit, n. 119. & 151. Fundamentum huius sententiæ esse videtur, quia hæc iurisdictio non est data superiori propter autoritatem vel utilitatem eius, sed propter bonum ipsius poenitentis: ergo quoties poenitens omnino non vult confiteri prælato (hoc enim supponendum est) quanuis ad hoc nullam habeat causam, sed solam voluntatem ortam ex intrinseca difficultate confessionis, & solum ob eam rem facultatem petat, tenetur superior illam concedere. Probatur consequentia, quia tenetur superior ex vi sui muneris vti hac iurisdictioe sicut expedit ad bonum poenitentis: tunc autem omnino expedit illi facultatem dare, quia hoc modo confitebitur, & remedium obtinebit. Alia autem via exponitur periculo pereundi, aut non integrè confitendi.

Stim.
Ledesm.
Victor.
Syluest.
Angel.
Armil.
Nauarr.

runt in particulari Angel. dict. nu. 31. nam referens dictum S. Thomæ, addit. Quod credo verum, nisi quando propter hoc sollicitus scire ne alios inficiant. Soto etiã posuit exemplum, quando superiori bona fide procedenti constat subditum nequiter talem facultatem petere, ut occasionem accipiat persistendi in peccatis. Similiter Armilla verb. Confessio, nu. 35. ait, debere negari hanc facultatem quando est in damnum petentis, vel aliorum. Deinde, quanuis superior concedendo facultatem non timeat grave detrimentum subditi; si tamen maiorem, vel æquale illius utilitatem sperat, quanuis eam neget; potest licitè eam negare. imo aliquando etiam cum minori eius utilitate, si ad aliorum exemplum, & commune bonum censetur necessarium, aut valde conueniens. Ita sentiunt citati autores. Unde Angelus ait, rectè facere superiorem, quando ex hac causa negat, ut alii scientes, & videntes difficultatem in danda facultate, magis à peccatis præferentur. Et Armilla dicit, superiorem multoties posse negare, si vult, quia hoc est ex honestate: & quandoq; bonum esse negare, ne detur occasio peccandi.

Angel.
Soto.
Armil.
Vide Hambricum lib. 3. de poenit. cap. 13. n. 6.
Angel.

Ratio vero est, quia superior in hoc vtitur iure suo, ut satis declarant argumenta facta circa primam sententiam. Quod autem id cedat in minorem subditi utilitatem, non ipse est causa, sed ipsemet subditus ex sua negligentia, vel affectioe, ergo illi imputabitur, & non superiori, qui potest præferre commune bonum illi in commodo vnius particularis. Præsertim, quia licet in præfenti videatur hoc esse minus vtile tali subdito, quia quodammodo coactus, cum minore deuotione confitebitur; tamen in futurum potest sperari alia utilitas maioris momenti, nimirum ut sit cautior in peccatis vitandis. Semper tamen supponimus hæc minorem utilitatem esse intra latitudinem fructuose, & dignæ confessionis; alioquin iam non esset minor utilitas, sed omnino nulla, vel potius graue nocumentum, de quo nondum egimus.

Primæ Conclusio.

4
Quando tenetur sacerdos ex iustitia concedere facultatem.

In hac re aliqua sunt certa, quæ si practicè distinguantur, vix poterit esse dissentio. Primum ergo certum est, plures esse casus, in quibus sacerdos ex iustitia tenetur hanc facultatem concedere poenitenti, ita ut faciat illi iniuriam negando illam simpliciter. Huiusmodi sunt omnes illi casus, in quibus poenitens merito timet aliquod graue damnum extrinsecum inferendum ab ipso met confessore, ut si confessionem sit reuelaturus, vel (quod perinde est) scientia illa vlturus in graue illius nocumentum, vel graues inimicitias cum illo gerat. Idemque est quoties ipse superior non est alias idoneus ad ferendum iudicium in tali causa, vel quia est ignoras, vel ad eum improbus, ut loco medicina sit scandalum alaturus. In hoc conueniunt omnes Doctores citati. Et ratio est per se euidens, quia talis superior non potest iuste priuare poenitentem legitimo vsu huius sacramenti; nec potest illum cogere ut se exponat periculo alicuius grauis nocumenti.

Atque hinc vltimus sequitur, per se, ac præcisè ex pastoralis munere in hoc foro, & ex intrinseca difficultate ipsius confessionis non statim oriri obligationem concedendi hanc facultatem: imò posse superiorem illam negare quoties graue nocumentum subditi, quod extrinsecum, & valde accidentarium est huic sacramento, non timuerit. Deinde sequitur, quoties ipse superior non est alius de causa talis nocumenti, sed solum timetur ob duritiam, vel fragilitatem ipsius poenitentis, non peccare superiorem contra iustitiam respectu subditi negando ei talem facultatem: hoc enim totum probant, quæ in priori sententia adduximus.

Secunda conclusio.

5
Non semper tenetur superior ad hanc facultatem concedendam.

Secundò est certum, non semper teneri superiorem ad hanc facultatem concedendam. Quod in generali satis probat illa ratio: quia alias fere nullius momenti esset reservatio. In particulari autem est hoc euidens, si moraliter timeat talem facultatem non esse futuram vtilem poenitenti, sed potius facilitatem veniæ futuram esse illi occasionem scandalii, seu recidui. Item, si peccatum tale sit, ut vergat in damnum communitatis, vel alterius tertie personæ, cui poterit prælatus remedium adhibere, si illius notitiam habeat, etiam seruatio confessionis sigillo. In his enim, & similibus casibus non solum non potest, sed etiam non debet superior facultatem dare; maxime cum vix, aut nullo modo possit talis poenitens conuenienter disponi ad confessionem faciendam virtute talis facultatis. Hoc nota-

Tertio vero addimus, ex charitate, vel etiam ex debito sui muneris & fidelis dispensatoris teneri superiorem ad concedendam hanc facultatem, quoties timuerit graue detrimentum spirituale subditi, si illam neget quanuis illud nocumentum non ex iniuria extrinseca, sed ex proprio defectu ipsius subditi euenturum sit: ut quod tacebit aliquod peccatum in confessione, vel quod nimium differet confessionem, & licentiam peccandi accipiet, vel quid simile. Hoc est quod intendit principaliter D. Thomas, & communis sententia. Et hoc probat ratio eius, quia hæc potestas non est data in destructionem, sed in utilitatem subditorum. Nec refert quod ipse subditus sibi sit causa talis nocumenti, nam hoc ipsum tenetur impedire spiritualis pastor, si commode potest. Unde addo vltimus etiam si speretur aliorum utilitas ex negatione talis facultatis, non esse negandam cum tanto detrimento subditi, quia sacramentum hoc per se institutum est in bonum poenitentis, & ad eundem finem data est hæc potestas, & ad eundem ordinatur reservatio: ergo non licet per hoc medium aliorum utilitatem procurare eum tanto subditi detrimento: præsertim, quia

8
Tertio in-
cligito
Quando in-
uenitur su-
perior ex
charitate
facultatem
concedere.
D. Thom.

quia moraliter nunquam fit sine sacrilegio, & gravi iniuria ipsius sacramenti: fit etiam ipsa confessio odiosa & difficilis, quod est gravius incommodum, propter quod vitandum qualibet alia vitia parvipendenda est. Oportet autem aduertere, aliud esse utilitatem aliorum procurare, de qua locuti sumus: aliud vero perniciem aut graue nocumentum eorum vitare, de quo est longe diuersa ratio: nam si hæc causa intercedat, negari potest & debet talis facultas, etiam si subditus ipse male vsurus sit tali medicina, quia hoc iam est scandalum Pharisaicum: & ideo quidquid ex illo sequitur, tantum malicia ipsius subditi imputatur: nam ipse tunc tenetur suam conscientiam ei aperire, qui & sibi, & aliis prodesse potest, & non obesse: ergo, si nolit huic obligationi satisfacere, nec potest esse ad confessionem dispositus: nec facultas confitendi alteri ei potest esse utilis: ergo non debet ei concedi, etiam si obdurato animo nolit confiteri superiori. Nec refert, quod id proueniat ex nimia verecundia, vel alia affectione, quæ grauem difficultatem ingerat, quia tenetur illam superare, & potest cum diuina gratia, vt sua obligationi satisfaciat. Extra hunc vero casum semper tenetur superior descendere fragilitati subditi, quando eius periculum imminet.

Atque hinc vterius colligo, & addo quarto, regulariter ac moraliter loquendo, superiorem debere esse faciliem potius, quam difficilem in hac facultate concedenda. Hoc etiam intendunt D. Thomas, & alij auctores citati: estque verisimum, quia moraliter ac per se loquendo, minus periculi est in concedenda hac facultate, quam in illa neganda. Vnde, vt concedatur, satis esse debet quod nulla specialis ratio ad eam negandam occurrat: vt autem negetur, semper interuenire debet aliqua specialis ratio, quæ id requirat: non quod semper hoc cadat sub præcepto, sed quod hic ordo sit convenientior, qui aliquando poterit esse sub præcepto, iuxta alias regulas tactas. Imo, licet aliquando superiori videatur interuenire sufficientem rationem ad negandam facultatem; si tamen aliunde ex relatione alterius, vel alia via ei constiterit subditum nullo modo vel se superiorem adire, neque aliis remedijs tentatis ad id posse induci, tunc superior nunquam debet negare facultatem, nec potest licite, excepto illo casu de damnificatione aliorum: quia, non obstat quæcunque ratio occurrente, & pensatis omnibus tunc id magis expedit, imo & necessarium est iuxta leges charitatis. Item quia reservatio hæc est quædam medicina subditi: ergo, si cum rigore applicata, cedat in perniciem eius, temperanda est, ideoque facultas concedenda. Vnde Nauar. d. cap. Placuit, nusquam ait, solam verecundiam nimiam penitentis esse aliquando sufficientem causam vt hæc facultas danda sit.

Dices, Tunc subditus grauitur peccat volens extorquere hanc facultatem à superiore suo indurato animo, & illudmet propositum non confitendi superiori, etiam si nolit facultatem dare, est graue peccatum in ipso subdito: ergo non est ei danda facultas: cur enim ex malitia reportabit commodum. Neque etiam si detur, illi erit utilis, cum sit ad confessionem indispotus. Respondeo, licet penitens, absolute loquendo, teneatur confiteri suo pastori, si ille nolit facultatem dare confitendi alteri, & ideo semper peccet subditus habendo absolutum propositum non confitendi simpliciter, si superior talem facultatem neget, absque alia causa extrinseca, sed ob solam difficultatem intrinsecam confessionis: nihilominus, petendo instanter facultatem, non peccat; & superior peccare potest illam negando. Nam hæc duo non repugnant: quia subditus tenetur iure diuino confiteri proprio pastori suo, si ipse nolit committere suam iurisdictionem alteri, dummodo aliam iniuriam, vel aliud nocumentum pro-

pter confessionem subdito inferat, contra quod diuinum ius peccat subditus habens illud absolutum propositum, non confitendi in illo casu. Non facit autem contra hoc ius, petendo facultatem à superiore: & ideo, si abstineat ab illo proposito, quantumvis instet, & vrgeat petendo facultatem, non peccat; imo potest honeste agere iuxta exigentiam cause. Ac proinde etiam superior teneri potest ad facultatem concedendam: sæpe enim contingit vt debitor ex iustitia teneatur soluere debitum, & nihilominus honeste petat à creditore remissionem eius, quam ipse saltem ex charitate concedere teneatur: illæ enim obligationes cum sint diuersarum rationum, simul non repugnant: ita ergo est in præfenti. Quapropter (respondendo ad difficultatem positam) in primis necesse non est vt in hoc negotio interueniat peccatum, vel praua dispositio ex parte subditi petentis facultatem, quia non oportet vt habeat illud formale propositum non confitendi, &c. imo prudens superior hoc debet præcauere, ne inducat subditum in huiusmodi quasi desperationem; & aliquando poterit hoc ipsum illi ad culpam imputari, si ob negatam facultatem subditus temerariam voluntatem, & propositum concipiat. Deinde dico, etiam si subditus in eum statum deuenit, dandum omnino ei esse hanc facultatem, vt remedium aliquod illi malo adhibeatur: nam, licet, durante illo proposito, subditus sit indispotus ad abolitionem, tamen ob tenta facultate, potest se disponere, & de illamet culpa dolere, eamque cum alijs confiteri.

Tandem in hoc puncto dicendum est, non teneri superiorem dare generalem facultatem eligendi quemcumque confessorem idoneum vt à talibus sibi reseruans absoluta; neque etiam teneri ad committendam causam ei sacerdoti, quem vult penitens: sed posse illam committere alteri, vel inter aliquos designatos electionem subdito dare, prout iudicauerit expedire ad bonum penitentis. Hoc etiam colligitur ex dictis auctoribus, & præsertim Angelus aduertit posse, & debere prælatum in particulari inquirere, & scire, cui velit subditus confiteri: Et si est, inquit, æque bonus, concedat; si vero non est æque bonus, non debes dare facultatem. Et ratio quidem in generali manifesta est: nam reservatio ad hoc fit, iuxta Concilium Tridentinum, vt grauiora delicta grauius corripi, & melius emendari possint: ad quod necesse est, vt grauioris etiam personæ, & doctoris, ac melioris iudicio subdantur: ergo quantum superior cedat iuri suo committendo causam alteri, semper habet ius non committendi illam, nisi personæ proportionatæ tali cause, & fini reservationis: hoc autem regulariter non fiet, si generalis facultas concedatur. Sæpe etiam accedere potest, vt persona, quæ designat penitens, seu quæ loco illius facultatem petit, talis non sit superioris iudicio: ergo non est cogendus superior vt id concedat. Nec potest subditus iuste conueniri, aut eandem difficultatem respectu omnium aliorum allegare, præsertim si ei facultas ad eligendum inter plures concedatur. Non debent tamen in hoc superiores esse difficiles, quando vel subditi prudentes sunt, & timorati: vel sacerdos, per quem subditus facultatem petit, reuera est sufficiens vt ei causa committi possit. Tunc enim, regulariter loquendo, & nisi alia causa grauis occurrat, consultius est acquiescere penitenti; & interdum potest etiam esse necessarium, iuxta regulas superioris datas, quæ hic etiam applicari possunt.

SECTIO V.

An debeat superior facultatem dare absolute.

I Am vero occurrit tractandum secundum dubium supra propositum, an quando superior hanc

Quarta conclusio. Superiorum debere potius esse faciliem, quam difficilem. D. Tho.

10 An verecundia sit iustificans causa ad dandam hanc facultatem. Peccare subditum nolentem confiteri superiori.

Ultima conclusio. Non teneri superiorem dare facultatem generalem. Angel.

hanc facultatem concedit; debeat illam absolute dare, vel cum aliqua conditione, vel onere penitenti imposto. Duplex autem onus potest in presenti habere locum. Vnum est, vt talis vel talis penitentia illi imponatur: aliud est, vt coram superiore compareat: nam præter hæc non possunt alia in presenti excogitari. Hæc vero habere possunt locum iuxta diuersos modos concedendi hanc facultatem. Duobus enim modis potest peti, & concedi. Primò post peccatum reseruatum commissum: de quo fere in toto præcedenti puncto locuti sumus. Secundo ante peccatum commissum, vt si subditus petat facultatem à superiore ad confitendum alteri, si forte se in aliquod peccatum reseruatum lapsus fuerit. In priori modo non habet locum onus comparandi coram superiore: nam ad hoc petitur facultas, vt ab onere subditus liberetur: repugnans ergo esse dare facultatem; & imponere tale onus. Item, aut subditus petit facultatem per seipsum; & liciam satis comparet coram superiore; effectusque illi imperinens facultas cum onere iterum comparandi: vel petit facultatem per alium, verbi gratia; per inferiorem ordinarium confessorem: & tunc inde petit, vt persona, quæ commisit peccatum, non veniat in notitiam superioris, & ad hoc postulatur veluti indulgentia eius: ergo neque ibi habet locum tale onus.

Quin potius hinc inferunt doctores supra citati; quando à superiori hoc modo facultas postulatur, non possit licet interrogare personam, pro qua postulatur, neque aliquas circumstantias, per quas in eius notitiam deueniat: tum quia, si per inferiorem confessorem petitur facultas, ille tenetur seruare sigillum, & superior grauissimè peccat dum aliquam eius laxationem vel fractionem procurat. Imò, licet ille, per quem petitur facultas, non esset confessor, nec sciret sub sigillo, sufficeret obligatio naturalis secreti in re adeo graui, & ordinata ad remedium conscientie proximi. Tum etiam quia superior inquirens de persona in occulto delicto, grauitè peccat contra iustitiam, & in presenti etiam videtur peccare contra hoc sacramentum; quia talis superior prauè vitur potestate accepta, & quantum est ex se, reddit difficilem & odiosum usum huius sacramenti. Itaque quoties facultas cadit in delicta iam commissa, non habet locum huiusmodi onus comparandi moraliter loquendo. Fingi verò posset casus, in quo daretur talis facultas cum eo onere solum ne differatur confessio; quam in presenti fortasse superior non potest audire. Sed hic casus & rarus est, & tunc eadem est ratio de illo, & de facultate concessa pro peccatis, quæ esse possunt in futuro, de qua statim dicam.

Possit tamen hæc facultas concedi cum limitatione seu onere imponendi, seu acceptandi talem vel talem penitentiam pro tali vel tali delicto: nam ad hoc ius habet superior, cum enim sit ordinarius iudex in illa causa, potest eam non simpliciter committere, sed præscribendo modum, seu taxandò penam ferendam: & aliunde hoc potest expedire ad bonum penitentis. Et declaratur, nam olim erant in Ecclesia canones penitentiales, in quibus taxabantur penitentia imponendæ pro grauioribus delictis, quorum nonnulla vestigia sunt apud Gratianum in fine decreti, & in cap. *Laxorem*, 33. quæ cum similibus: non ergo repugnat penam in hoc foro imponendam, esse taxatum per eum, qui in Ecclesia habet potestatem: non est autem cur ægeamus hanc potestatem superiori, qui & potuit casus reseruare, & potest etiam facultatem ad illorum absolutionem committere. Accedit quod clemens 8. in decreto de casuum reseruatione pro regularibus, quanuis prohibeat superioribus religionum ultra modum ibi præscriptum casus reseruare, subdit in § 5. *Licebit tamen superioribus determinare peni-*

tentias graues quibusdam peccatis, etiam non reseruatis, à confessoribus imponendas, quæ subditos ab huiusmodi peccatis perpetranda cohibere possunt. Et quibus verbis constat à fortiori hoc licere in casibus reseruatis, vt probant illa verba, etiam non reseruatis: & per se est euidentis ex paritate rationis. Ergo possent superiores religionum secundum species peccatorum reseruatorum taxare modum penæ imponendæ ab his, quibus facultas absoluedi ab eis committitur: ergo etiam hoc potest facere superior in particulari commissione, eam tali modo limitando. In vsu vero huius potestatis necessaria est prudetia, & moderatio: regulariter enim non videtur necessaria, nisi quando superior non multum consideret de prudentia eius, cui talem causam committit.

Et quod dictum est de penitentia, intelligendum est etiam quacunque satisfactione condigna; aut alia conuenienti medicina, si iuxta exigentiam causæ moraliter necessaria, aut valde conueniens iudicetur. Et propter hunc finem potest aliquando superior interrogare speciem culpæ, aut consuetudinem, vel alias circumstantias, quantum sine manifestatione, vel suspitione personæ declarari possint: cum hoc enim periculo nec ipse interrogare debet, neque alter respondere tenetur. Aliquando etiam poterit superior illam cautionem seu limitationem adhibere sine speciali notitia delicti sub conditione, videlicet, si huiusmodi fuerit delictum, imponatur hæc satisfactio, &c. Quod quidem per modum consilii frequenter fit; & potest fieri per modum legis seu præcepti, vt dixi; non est tamen in vsu vt fiat, & ideo sine magna, & extraordinaria causa facientium non est. Et multò minus est committenda iurisdictio cum tanta dependentia ab hac conditione, vt nisi impleatur, verbi gratia, nisi imponatur talis penitentia, & acceptetur, absolutio alias data, sit nulla: nam hoc & nimis rigorosum est; & periculis expositum, & in rigore potest esse iniustum: quia nunquam pena huius fori tanta necessitate præscribitur, quin committatur aliquod arbitrium iudici, vt si iuxta dispositionem, vel alias conditiones penitentis viderit, aut non esse debitorem tantæ penæ, aut illi non expedire, possit eam moderari. Quia pena huius fori magis medicinalis est, quam vindicativa; omnino ergo priuare iudicem hoc arbitrio, iniustum esset: relinquere autem illi cum periculo faciendi sacramentum irritum, seu conferendi absolutionem nullam, iram esset imprudentissimum: & ideo nunquam est hæc conditio illo modo ponenda, sed ad summum per modum cuiusdam directionis seu ordinationis.

De facultate pro peccatis nondum commissis, si forte committantur.

Superest dicendum de alio modo concedendi hanc facultatem pro peccatis nondum commissis, si forte committantur, quæ facultas frequentius concedi solet ipsis penitentibus. Erit autem eadem proportionalis ratio, si ponamus iurisditionem directè committi ad eundem effectum, & sub eodem modo. Deinde circa hanc facultatem nulla est difficultas noua, quantum spectat ad secundum genus oneris seu moderationis explicatum: nam quæ ratione non repugnat illam legem, seu directionem imponi circa peccata iam commissa, non repugnat circa futura, si committantur. Omissis ergo illo onere, circa aliud de comparando coram superiore est hic specialis difficultas: nam hoc onus per se non repugnat cum ordinario fine, propter quem hæc facultas conceditur: quia non datur propter liberandum simpliciter penitentem ab onere comparandi coram superiore, sed propter subueniendum alicui necessitati, ne forte occasione illius nimium differa-

Peccare se
periorum,
qui in qui-
rit de subdi-
to, qui petit
facultate.

3
Possidari
facultate
cum onere
in alio peni-
tentia.

S. D. N.
Clemens
VIII.

Difficultas
de onere
penitentia
non iuge-
ritur.

differtur penitentia: & ideo frequentius concedi solet sub ea conditione, Si difficulte sit aditus ad superiorum. Vnde etiam fit, vt in peccatis reseruatim habentibus annexam censuram, iuxta vsum iuris concedatur hæc facultas sub eo onere comparendi iugiter, quantum est ex fine, & modo huius facultatis, non videtur repugnare cum eo onere concedi.

6 *An de non habentibus censuram possit dari facultas cui onere comparendi.*
 Difficultas vero superest, an in peccatis reseruatim non habentibus censuram, aliunde repugnet concedi facultatem sub tali onere. Videtur enim repugnare ratione ipsius sacramenti: in censuris enim, quia impositio, & absolutio earum principaliter est ex institutione Ecclesiæ, potest Ecclesiæ prout voluerit modum absolutionis præscribere, & sub hoc vel illo onere illam præstare. Tamen in confessione, & absolutione sacramentali non potest Ecclesiæ aliquid addere, vel mutare præter Christi institutionem: absolutio autem sacramentalis ex efficacia, quam habet ab institutione sua, liberat hominem à culpa, tam in foro Dei, quàm in foro Ecclesiæ, & consequenter liberat illum ab obligatione subiiciendi iterum illa peccata clauibus, propter quod diximus in superioribus, peccata semel ritè confessà non esse materiam necessariam huius sacramenti, nec posse Ecclesiæ obligare ea iterum confiteri: ergo repugnat huic sacramento, facultatem absoluedi dari sub illo onere: quia, aut vera absolutio non datur, aut tale onus non relinquatur, cum non possit absolutio suo effectu priuari, nõ existente obice ex parte penitentis. Vnde etiam in peccatis reseruatim habentibus censuram, onus, q. relinquatur, non est ad subiiciendum iterum illa peccata clauibus per confessionem sacramentalem, sed solum ad comparendum coram superiore, vt satisfacionem debitam imponat ratione censuræ contractæ, cuius integrum iudicium non fuerat inferiori confessorico commissum: hoc autem non habet locum in peccatis, quæ non habent censuram annexam, quia respecta illorum per talem facultatem solum committitur causa in foro sacramentali, in quo plenum iudicium, & vltima scientia committitur confessori, hoc ipso quod ei causa delegatur: quia hoc sacramentale iudicium est supremum, & vltimum in hoc foro, in quo omnes iudices sunt æquales, quia soluunt in persona Christi: ergo ratione confessionis non potest manere illa obligatio. Secus autem confessione sacramentali, nulla ratio relinquatur coram superiore comparendi. Nec potest penitens ex vi confessionis sacramentalis obligari ad dicendum eadem peccata superiori extra confessionem, nisi aliunde antea haberet illam obligationem, vt contingit in illis ratione censuræ: ergo obligabitur ad iteratam confessionem, quod repugnat.

7 *Durand. Hiles. Dionys. Carthus. D. Tho.*
 Propter hanc rationem aliqui moderni Theologi negant, posse facultatem concedi sub hoc onere: quod si fiat, nihilominus confessionem ex vitalis facultatis factam, esse validam. Soletq. hæc opinio tribui nonnullis antiquis Theologis; nullus tamen absolutè negat facultatem hanc sub hac forma concedi posse & licitè, & validè, quauis in modo explicandi sit diuersitas, vt videbimus. Solum Durand. in 4. dist. 17. qu. 15. num. 10. videtur in eam partem inclinare. Refertur etiam Holcot. in 2. d. 15. & Dionys. Carthus. dist. 22. quæst. 1. Tribui etiam solet hæc opinio D. Thomæ quodlib. 1. art. 12. ad 1. Sed ibi solum asserit, neminem posse obligari præcepto humano ad confitenda iterum peccata semel ritè confessà: quod satis commune est inter auctores, vt supra dixi: sed loquuntur de obligatione absoluta: hic autem agimus de conditionata, & sub tali conditione, quæ ex voluntate ipsius penitentis pendet.

8 *Communis sententia Henrich.*
 Communis ergo opinio est, esse potestatem in superiore ad concedendam hanc facultatem sub hoc onere, si expedire cõsuerit. Ita tenuit Henrich, quod.

A lib. 1. q. 32. & quodlib. 10. q. 1. Maior. in 4. 17. qu. 6. A drianus in 4. materia de Confessione, q. 5. §. *Idopro* solutione Angelus verb. *Confessio*, 5. num. 9. Et eandem videtur Caietanus supponere, verb. *Absolutio*, cap. 1. & Medina Cod. de penit. qu. de *Confessione fratris* *privilegiatus fact.* Idem tenet Palud. in 4. dist. 17. quæst. 5. art. 1. num. 6. Almain. qu. 1. circa finem, qui refert Gersonem lect. 2. super Marcum. Et habetur in Alphabeto 16. lit. T. Idem tenet Nauarr. in Summ. c. 9. num. 1. & cap. 2. 6. n. 12. & in cap. *Fratres*, de Penit. d. 5. num. 30. & in cap. *Placuit*, de Penitent. dist. 6. n. 112. Ledesma in 2. p. 4. quæst. 8. art. 2. dub. 19. Vt autem verum fundamentum huius sententiæ declaremus, supponendum est, per hanc facultatem dari iurisdictionem ad absoluendum à peccatis reseruatim directè & per se. Dixerunt enim aliqui, ideo posse superiorem hanc facultatem dare sub tali onere, quia potest concedere facultatem subdito vt confiteatur alteri, à quo absoluitur directè à peccatis non reseruatim, à reseruatim autem solum indirectè, ac proinde illa manere iterum obnoxia clauibus. Sed hæc sententia omnino falsa est, quia illa esset quædam dimidiatio confessionis, vel absolutionis, ad quam non potest superior specialem facultatem dare, cum sit contra diuinum ius. Vnde argumentor in hunc modum: quia vel superior delegat iurisdictionem suam ad casus reseruatim, vel non: si delegat, ab illis dari debet directè & per se absolutio, cum nihil sit, quod impediatur eius integritatem: si autem non delegat, impertinens est eius licentia. Nam, vel occurrit specialis necessitas, ob quam licitum est absolueri penitentem absque integra iurisdictione super omnia peccata mortalia illius; & tunc fieri poterit confessio, & absolutio absque speciali licentia superioris: quia id non licet ex dispensatione eius, sed ex ipso diuino, seu naturali iure, supposita institutione, vt in disputatione sequente videbimus. Vel non occurrit huiusmodi necessitas: & sic nulla potestas humana efficere potest, vt liceat sine tali occasione dimidiatam confessionem, vel absolutionem efficere: erit enim formalis, & non materialis tantum, cum nulla sit vera necessitas illius. Certum ergo esse debet, per hanc facultatem superioris concedi iurisdictionem ad absoluendum à reseruatim, & hanc dicimus posse delegari cum ea conditione seu onere.

B *Aliquorum sententia reprobat.*
 Circa fundamentum autem huius veritatis dicunt plures ex citatis autoribus, illud positum esse in mutuo cõsensu, & quasi pacto inter superiorem & subditum; nam superior posset non delegare iurisdictionem suam, & delegando, facit gratiam & fauorem subdito: ergo potest sub ea conditione eam concedere, vt si subditus velit tali gratia vt, consentiat obligationi comparendi coram superiore: & tunc subditus obligationem acceptans obligatus manet, non tam ex præcepto diuino confessionis, aut specialis præcepto superioris, quàm ex pacto mutuo. Ita significant Palud. Almain. Medina, & alii, & distinctius explicauit Nau. Vnde inferunt primò, debere hanc conditionem declarari subdito. Et quidem, si illi datur facultas explicatà conditione, hoc ipso quod postea illa vitur, satis acceptat conditionem, & obligatus manet. Si verò commissio facta est sacerdoti sub ea conditione, in scio penitente, tenebitur confessor ante auditam confessionem, vel, si id non aduerit, donec peccatum reseruatim audiuit, ante absolutionem datam, explicare conditionem penitentis: & si eam non acceptauerit, non absoluerit, quia non habet facultatem absoluendi nisi sub ea conditione. Si autem acceptauerit, eo ipso manebit penitens obligatus ad comparendum coram superiore.

Secundo hinc facile respondent ad totam rationem dubitandi principio positam: concedunt enim absolutè,

Maior. Adria. Angel. Caiet. Medina. Palud. Almain. Gerson. Nauarr. Ledesma.

Aliquorum sententia reprobat.

Palud. Almain. Medina.

absolutè, non posse superiorem præcipere iteratam confessionem, neque etiam obligare subditum, ut se illi prodatur postquam semel absolutus est. Nihilominus tamen aiunt, posse non delegare suam iurisdictionem nisi sub tali pacto, quia hoc neque repugnat institutioni talis sacramenti, neque veritati aut effectui integri ipsius formæ: neque est contra ullam legem iustitiæ, aut alterius virtutis. Atque ita simul relinquatur declaratum fundamentum huius sententiæ. Nam quod hic modus obligationis, & pacti sit possibilis, probat ratio proxime facta cum responsione ad rationem in oppositum. Quod vero posito illo pacto, inderiatur hæc obligatio, probatur ex natura pacti iusti, in quo aliquid datur cum obligatione aliquid faciendi. Aliunde vero constat materiam huius pacti esse grauem: nam quod inferior comparet eoram superiore, ad quod ex huius pacti obligatur, res est grauis ex suo genere, non solum quia de se est actio honesta, pertinens ad Dei honorem, & reuerentiã superioris, in materia graui: sed etiam, quia ad bonum animæ ipsius pœnitentiæ, & ad commune etiã honu, ut reseruatio peccatorum efficacior sit; magisq; retrahat subditos à peccando, potest multum interesse. Et declaratur, nam, si subditus propria sponte voto se obligasset ad ita comparandum coram superiore, sine dubio maneret obligatus, & censeretur res satis grauis: ergo idem est si oriatur obligatio ex dicto pacto. Rursus, quod talis obligatio non possit alio modo imponi à superiore, probatur à dictis auctoribus, quia per se & absolute non potest præcipere confessionem iteratam. Melius tamen videtur explicari ratione dubitanti in principio à nobis posita. Deniq; quod intentio superioris quando concedit facultatē sub illo onere, sit conficere hoc pactum cum subdito, probatur quia interdicit illum obligare eo modo quo potest, & eadem ratione subditus acceptat eo modo quo potest, & debet iuxta intentionem superioris.

Hæc sententia sic explicata, est sine dubio valde probabilis propter hoc fundamentum, & propter tot Doctorum auctoritatem, & magna ex parte sufficit ad defendendum usum talis facultatis, & ad omnem effectum per illam intentum. Nonnulla tamen aduertenda circa illam occurrunt. Primum est, nonnullos Theologos docuisse, etiam admissio hoc genere pacti & obligationis; subditum non peccare mortaliter non comparando postea coram superiore, quia censent illam materiam, nimirum quod tale peccatum iam confessum à superiore sciat, esse rem parui momenti, seclusa necessitate sacramenti. At hoc improbable est, ut declarat ratio superius facta, & exemplum de voto adductum errantq; dum significant, hanc obligationem solum imponi propter noticiam superioris, in ea sitendo; quæ non solum esset res parui momenti, sed etiam vana curiositas: non est ergo propter noticiam per se ipsam, sed propter effectus pertinentes ad diuinum honorem, & bonum subditorum, ad quos illa ordinatur, sub qua ratione illa est res valde grauis. Eo vel maxime, quod non tantum manet obligatus pœnitens ad dandam noticiam suæ culpæ superiori, sed etiam ad complendam satisfactionem seu emendationem, quam ipse iniunxerit, ut constat ex omnibus iuribus, in quibus fit mentio similis conditionis, & ex dicendis etiam constabit. Hæc autem obligatio tota sine dubio est res satis grauis, ut per se notum est.

Quod vero quidam aiunt, illam obligationem iniuste extorqueri, effectum inuoluntariam: quia subditus nollit talem conditionem acceptare, solumq; illam acceptat, quia non potest aliter facultatem obtinere, ac proinde, vel nullam, vel leuem esse talem obligationem. Hoc, inquam, nullius momenti est, & æquè improbable, ac præcedens: quia, cum

A superior habeat integrum ius in talem causam, & nullo iure teneatur illam facultatem dare subdito, & si illam neget, nullam ei faciet iniuriam, multo minus illam facit dando facultatem sub illo pacto, & non alias. Unde non potest illa dici violentia, quandoquidem liberum est subdito non acceptare conditionem. Neque etiam ibi interuenit diminutio voluntarij, quæ possit obligationem, vel culpam diminueri, quia in omni pacto, in quo aliquis suscipit aliquod onus propter aliquod commodum, potest dici interuenire simile inuoluntariu, quia vnusquisque vellet potius absolute, & libere reportare commodum, quam sub conditione onerosa: hoc verò non impedit quominus acceptata conditio obliget iuxta materiam exigentiam. Ita ergo in presenti contingit.

Addit verò Palud. citato loco, Licet iste modus sit possibilis, non tamen esse conuenientem, non quia Ecclesia hoc non possit statueri: sed quia iuxta communem ritum probatur, hoc non seruat: & etiam quia frustra audire, ex quo absolute non potest. Veruntamen hoc etiam falsum est, quia in illo modo concedendi talem facultatem nihil est præter rationem iustitiæ aut charitatis, aut alterius virtutis: neque etiam est aliquid incommodi aut periculi, ut minus conueniens censetur. Quod autem in reseruationibus, seu facultatibus Pontificiis, quæ vnuerfam Ecclesiam respiciunt, hoc fortasse non fit in usu, ideo est, quia illa peccata semper habent censuram annexam, & ideo quando illud onus imponitur, videtur esse præcipue ratione censuræ. Tamen sicut inde non sumitur argumentum, quod reseruatio casuum sine annexa censura non sit conueniens; ita nec quoddam facultas absoluedi ab illis, cum simili onere conueniens non sit. Eo vel maxime, quia interdum Pontifex reseruat casus sine excommunicatione annexa, ut in citato Motu Sixti V. & non propterea dicit quispiam, ut opinor, posse aliquem absolui ab inferiori à tali casu propter ordinariam difficultatem, & moram, adeundi Summum Pontificem sine vlla obligatione comparandi; alioqui inutilis esset talis reseruatio. Ac denique, licet daremus hunc modum non esse conuenientem pro tota Ecclesia, quia non est accommodatus statui omnium fidelium; tamen inter religiosos, qui maiorem perfectionem profitentur, & specialiori modo subsunt pastoralis curæ suorum prælatorum, potest esse valde conueniens, & ita Maior & Carthusianus referunt fuisse in usu Maior. in religione Cisterciensium per constitutionem à Summis Pontificibus probatam. Et nunc etiam hoc seruatur in aliqua religione cum magno fructu, & sine vilo incommodo.

Illud denique, quod Palud. subiungit, quod frustra hac audire, ex quo absolute non possit, nullum verum sensum habere potest. Nam si loquatur de inferiori confessor, cui datur talis facultas, falsum est absolute non posse: quia, licet, relinquatur in subdito onus comparandi, vere & sacramentaliter illum absoluit: & ideo non frustra audit. Quod si pœnitens non acceptat conditionem, verum est non esse absoluedum: inde tamen solum sequitur, ante auditam confessionem proponendam esse huiusmodi conditionem. Si autem de superiore loquatur, falsum etiam est illum non posse absolute, cum possit absolutio bis cadere supra eadem peccata. Et præterea, licet non absoluat, neque ad hunc finem se illi subditus manifestet; nihilominus non erit frustra: quia potest deferuire, ut superior, vel meliorem medicinam, vel maiorem satisfactionem adhibeat.

Præterea in hac sententia obseruandum est, ab illius auctoribus non satis declarari, quid dicendum esset: si contingeret pœnitentem absolui per talem facultatem, priusquam illi explicetur conditio seu onus eius. Tamen consequenter loquendo, ex principiis

An admissio talis pacto peccet subditus non comparando

Quorundam Theologorum opinio probatur.

An obligatio comparandi iniuste extorquetur.

1. sent.

cipis huius sententia sequi videtur, illum subditum non manere obligatum ad comparandum postea coram superiori, etiam si postea illi declaratur conditio, quia potest non acceptare illam, & sine suo consensu non obligatur, ut diximus: & nihilominus manebit absolutus, quia prior sententia valida fuit, nec reuocari potest. Neque hoc censetur inconueniens, aut contra vigorem disciplina per reservationem intentam: quia ad hoc satis est, vt confessor teneatur sub precepto explicare penitenti conditionem facultatis concessa, priusquam confessionem eius audiat, quod verum interdum ex negligentia, aut ex malitia eius possit hoc pratermitti, & ideo possit subditus ab illa obligatione excusari, & rarum est, & accidentarium, & ideo in re morali non est consideratione dignum.

16. 1. sent.

Aliquibus autem visum est, illum absolutionem in eo casu non fuisse validam, id est eadem obligationem teneri subditum confiteri superiori, quia antea tenebatur. Ratio huius sententia esse potest, quia illi confessori non est data iurisdictio, nisi sub ea conditione: ergo illa non expleta, illi non datur iurisdictio quoad talem actum. Et potest confirmari: quia delegatus, non seruans formam sibi in commissione prescriptam, nihil operatur, vt constat ex c. *Venerabilis*, cum similibus, de Offic. deleg. quia non habet plus iurisditionis quam illi commissum est: sed in presenti commissio est iurisdictio sub tali forma & modo: ergo non seruans illum, nihil facit. Et confirmatur secundò: nam si in eo casu confessor proponeret conditionem subdito, & ipse nollet eam acceptare, & nihilominus absolueretur a sacerdote, confessio esset nulla ex defectu iurisditionis; propterea non impletam conditionem. Et similiter si subditus deciperet confessorem acceptando exterius conditionem, sine proposito implendi, aut comparandi coram superiore, absolutio data a sacerdote, etiam bona fide ex parte illius, esset nulla propter eundem defectum: ergo a fortiori absolutio data priusquam subditus acceptet conditionem, imò priusquam illi proponatur, siue hoc fuerit ex malitia, siue ex inaduertentia confessoris, inualida est: quia multò magis deficit ibi conditio necessaria ad vsum iurisditionis.

17.

Tandem confirmatur: quia aliàs si sufficeret subditum bona fide esse confessum, sequeretur, in eo casu, in quo penitens prius confiteretur casum reservatum, quam illi sit tale pactum, seu talis conditio proposita, & postea confessor ante absolutionem proponit conditionem, licet penitens nollet eam acceptare, debere nihilominus à confessore absolui: quod Nauarrus, & alij non admittunt. Sequela patet, quia iam penitens bona fide semel confessus est, & recte dispositus, vt suppono, & ex hac parte iam acquisiuit ius ad absolutionem simpliciter obtinendam; aliunde vero iam non potest obligari ad conditionem illam acceptandam: quia aliàs obligaretur ad iterum confitendum peccatum semel rite confessum, idque non tantum sub conditione voluntaria, sed simpliciter & absolute: quia supponitur vna confessio iam facta, & post illam exigitur acceptatio obligationis iterum comparandi, quod est absolute hoc exigere, & non sub aliqua conditione, quae iam pendeat ex voluntate penitentis. Nec satis est dicere, conditionem ibi includam esse, si vult absolutionem obtinere: quia si absolutio illa valide dari potest absque tali conditione, iniuste à penitente exigitur in illo casu: quia iam habet ius acquisitum per confessionem factam. Item, quia conditio talis esse debet, vt maneat liberum penitenti aliqua via semel tantum confiteri, si velit: quod in illo casu non seruatur: quia siue absoluitur penitens acceptando conditionem, siue non absoluitur: quia illam non acceptat, cogitur iterum

Nauar.

rum confiteri idem peccatum rite confessum, quantum est ex parte eius: ergo, vel dicendum est, in eo casu absoluendum esse penitentem, etiam si non acceptet conditionem: quia habet ius, & rationabilem causam non acceptandi: quod videtur absurdum, & contra praxim, & contra eosdem auctores, vt dixi: vel dicendum est, ideo tunc non posse absolui, quia quacunque ratione talis subditus absoluitur non proposita, vel acceptata illa conditione bona fide, absolutio est nulla.

Nihilominus tamen hæc sententia valde rigorosa est. Nam, licet fortasse non repugnet iurisditionem eo modo committi, & cum tota illa dependentia à proposita conditione: quia cum hæc confessio fiat per humanam voluntatem, & ab illa pendeat, non est vnde repugnet consensum seu intentionem delegantis esse conditionatum in prædicto sensu: (quod multi existimant ita esse in simili absolute à censura.) Nihilominus in presenti non videtur hæc intentio prælati delegantis prædicto modo iurisditionem: quia neque ex forma confessionis colligi potest talis intentio: nam sufficienter intelligitur, quod illa conditio ponatur tanquam præcepta, quamuis iurisdictio non præbeatur omnino dependentem à tali conditione. Item non colligitur ex vsu: nullus enim existimauit absolutionem bona fide datam penitenti, cui non est explicata illa conditio, non fuisse validam: imò nec de simili absolute à censura in eo casu, in quo iura apponunt talem conditionem, aliquis auctor hoc dixit. Nam, si quis absoluitur in articulo mortis ab excommunicatione contracta, verbi gratia, ob violentiam clerici percussorem, etiam si non admoneatur à confessore de obligatione postea comparandi, valida est absolutio. Quod est secus quando potestas absoluendi datur solum sub ea conditione, *satisfacta parte*: nam tunc si ea conditio non fuit impleta eo modo, quo commode potuit, absolutio fuit nulla. Et ratio differentie est: quia hæc conditio posterior est prærequisita ad absolutionem, & sub illa datur iurisdictio, & non aliàs: prior verò conditio non est prærequisita ad absolutionem: sed per illam, vt manentem à tali iurisditione, efficitur, seu consummatur. Hinc ergo censeo, conditionem illam, quantum ex iure communi colligitur, non ita apponi: vt irritet actum propter defectum aliquem ex ignorantia, vel malitia confessoris commissum: ergo eodem modo intelligenda est similis reservatio, vel facultas absoluendi à reservationis. Tandem ex subiecta materia id colligi potest: tum quia hæc conditio onerosa est, & ideo non est iam rigoroso modo interpretanda: tum etiam, quia non esset inconueniens talis modus concessionis cum morali periculo saepe faciendi sacramentum irritum. Denique coniectura in oppositum non cogunt: negamus enim, iurisditionem illam datam esse dependentem à conditione alioquo modo antecedente, quoad pactum seu acceptionem penitentis.

18. Secunda sententia reicitur.

Vide N. 2. Mart. c. 27. n. 45. Et 89.

Vnde ad primam confirmationem negamus illam esse formam substantialem seruandam in vsu talis iurisditionis, in qua tantum forma verum habet principium ibi sumptum de iurisditione delegata. Ad secundam vero confirmationem concedo, in casibus ibi propositis absolutionem per se loquendo, esse nullam; non quidem ex defectu iurisditionis: sed ex fictione penitentis contraria veritati sacramenti: nam dum ille exterius acceptat, & interior non habet animum implendi, mortaliter peccat; quod peccatum non confitetur, nec de illo dolet, & ex hoc capite confessio est nulla. Idemque est, etiam si exterius acceptet, vel quacunque alia ratione velit absolui sine proposito comparandi. Dico tamen *per se loquendo*: quia, si ille penitens excusaretur per ignorantiam à culpa mortali in ea

19. Rationib. satisf. Cordub.



fisione seu voluntate, absolutio valida esset: quia iam nullum habet substantialem defectum. Existimo tamen illum nihilominus manere in re ipsa obligatum ad comparandum: quia eo ipso, quod sciens facultatem esse à superiori tali modo datam, vult per illam absolui, re ipsa accipit obligationem sibi impositam, etiam si per ignorantiam habeat illicitam voluntatem, vel propositum aliquo modo contrarium, quod à fortiori patebit ex dicendis. Ultima verò confirmatio potius probat, Nauarrum, & alios auctores non consequenter loqui, quam quod prædicta absolutio nulla sit. Nam si verum est, eum qui bona fide absoluit sine noticia talis oneris, postea non teneri ad illud sustinendum, consequenter professio dicendum videtur, eum, qui simili bona fide confessus est, sine noticia talis oneris, iuste exigere absolutionem, nolens acceptare tale onus: quia pactum ibi inclusum indebito tempore illi proponitur, quando videlicet, ex parte illius iam est impleta conditio, & susceptum ferè totum gratiam, quod poterat esse ex parte poenitentis: unde si hoc posterius iudicatur absurdum, etiam illud prius admittendum non est.

20.
Verà dubij
occurrentis
solatio.

Quapropter aliter de hoc casu sentiendum censeo: videlicet, eum, qui ex vi talis facultatis absoluitur à casibus referuatis, quamuis ante absolutionem ignoret pactum seu conditionem facultatis, nihilominus in re ipsa manere obligatum ad comparandum eum intellexerit modum concessæ facultatis. Hoc probo primo à posteriori, sed ab inconvnienti ex illa vltima confirmatione proxime tractata. Secundo probo à simili ex facultate iuris ad absolvendum à peccatis referuatis Summo Pontifici sub illo onere: nam ipsa absolutio sic data, per se habet efficaciam inducendi talem obligationem independentem à consensu præstito à subdito, sed sufficit consensus debitus, ergo idem est in presenti. Nam licet illa facultas iuris sit ad absolvendum à censura, non tamen à sola illa, sed etiam à culpa, & in utramque per se cadit illud onus: imo illa facultas ut supra ostendi, non limitatur ad peccata referuata cum censura, aliàs quando Pontifex reservat peccatum sine excommunicatione (quod interdum facit, ut supra ostendi) non posset quis ab illo absolvi ex vi illius concessionis iuris: quod sine ratione diceretur, cum iura non ponant talem limitationem, nec sit rationi consentaneum ut sit difficilius absolutio à peccato, solum quia non habet censuram annexam.

21.
Assignatur
ratio à prio
ri.

Tertio est ratio à priori: quia in Prelato non deest potestas ad hanc obligationem inducendam, neque etiam deest voluntas, ergo inducit illà. Consequenter est evidens, & de minori nulla est disceptatio: quia supponimus prelatum satis explicare voluntatem suam; & quia in hoc intendunt huiusmodi prelati imitari ius Pontificium. Denique simpliciter adhibent illam conditionem, & imponunt hoc onus: ergo intelliguntur id velle quantum ex se possunt, independentem à voluntate subditi. Probat ergo maior, in qua est difficultas: nam hæc facultas datur per veram delegationem iurisdictionis, quæ ab homine confertur; sed in omni delegante iurisdictionem suam est potestas committendi illam magis, vel minus restrictam, & sub hoc vel illo onere: hæc enim ratione potest absolutio à censura illo modo committi, ergo similiter in presenti est potestas in delegante ad committendam causam sub illa conditione, & onere subdito imposito.

22.
Obiect.

Fortasse respondebit aliquis negando assumptum, iuxta opinionem asserentem totam iurisdictionem huius fori dari immediate à Christo. Dicitur enim, prelatum per hanc facultatem non dare iurisdictionem, sed solum applicare materiam; qua applicata, non est in potestate eius ita limitare hanc iurisdictionem, quin eius actus sit omnino perfectus, &

consummatus tanquam in supremo tribunali, sine recursum ad aliud, quod sit superius. Hæc tamen responsio nititur falso fundamento: superius enim ostensum est propriissimam iurisdictionem esse, quæ in hoc foro hominibus per homines datur, & ab ordinariis pastoribus alienis sacerdotibus delegatur. Et in hac veritate fundavit Concilium Trid. potestatem referuandi casus, ut patet ex sess. 4. cap. 7. ubi sic ait, *Quoniam igitur natura, & ratio iudicij illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, &c.* vlt. ad illud, *In quem ordinariam, aut delegatam non habent iurisdictionem.* Merito ergo possumus nos, reiecto illo fundamento, in opposito hanc potestatem fundare. Sed præterea, remota vocabulorum diueritate, latris nobis est quod illa applicatio materiæ pendeat ex hominis delegantis voluntate, & sic de necessitate sacramenti, ut dicti auctores concedunt: quæ etiam consequenter aiunt, in huiusmodi materiæ applicatione fundari casuum reservationem: quia sicut ab humana voluntate pendet materiam applicare, ita & hoc vel illo modo, seu magis, vel minus applicare: ergo cum eadem proportionem nos possumus concludere, posse superiorem applicare materiam eum tali modo seu onere. Declaratur hæc conclusio: quia vel per materiam, quæ applicatur, intelligitur persona ipsa, quæ subiicitur tali confessori; & sic constat hanc applicationem posse recipere magis & minus ex superioris voluntate: quia potest subiici illa persona in ordine ad plura, vel pauciora peccata: ergo etiam potest subiici magis, vel minus in ordine ad idem peccatum, ut scilicet possit de illo magis, vel minus absolute iudicari, seu cum maiori vel minori dependentia à superiore, vel nomine materiæ intelliguntur ipsa peccata; & sic constituitur simile argumentum proportionale: quia hæc ipsa materia potest magis & minus applicari, ut patet in diuersis peccatis per casuum reservationem: ergo & idem peccatum potest iuxta modum suum magis, vel minus applicari per reservationem illi proportionalem.

Dices, in diuersis peccatis facile intelligi quomodo in hac materia possit esse maior, vel minor applicatio quasi extensiva: quia potest vnum peccatum applicari, & non aliud; tamen in eodem non posse intelligi: nam, si applicatur, totum applicatur; & si retinetur, aut remittitur, totum retineri, aut remitti necesse est, neque etiam potest hoc magis, vel minus consistere in illa dependentia vel subordinacione ad iudicium superioris tanquam ad superius tribunal: quia non potest peccatum aliquod in hoc foro iudicari nisi tanquam in supremo tribunali. Respondeo, optime intelligi posse in eodem peccato maiorem, vel minorem applicationem materiæ. Et quia in hoc videtur consistere punctum difficultatis, id eo paulo diligentius id declarabo, distinguendo in iudicio eiusdem peccati tria. Primum est remissio talis peccati quoad culpam & æternam poenam, secundum est castigatio eiusdem peccati quoad condignam satisfactionem, tertium est curatio eiusdem peccati quoad obligationem in futurum vitandi similia peccata. Quantum ergo ad primum attinet, non potest iurisdicção delegata circa idem peccatum recipere magis vel minus, ut ratio facta probat, & quoad eam partem recte dici potest sententia lata in hoc iudicio esse supremi tribunalis, quia neque ab ea appellari potest, neque etiam potest mutari, quia, si claus non errat, statim transit in rem iudicatam, & tollit peccatum, quod reuocari non potest. Si vero claus errant, nulla fuit absolutio, neque vquam esse poterit. Quoad secundum autem, & tertium potest facile intelligi in eodem peccato maior, vel minor materiæ subiectio, ratione cuius possit superior imponere subdito onus comparandi eam se, si ab inferiori iudicetur. De secundo id declaro ex his quæ supra dixi, posse superiorem taxare poenitentiam imponendam ab inferiori sacerdote pro peccato referuato,

Obiect. re
respondetur.

21.
Obiect.

Solutio.

Triapost
in iudicio
eiusdem
peccati.

seruato: nam in eo iam ternerit quædam minor materiz subiectio: maior enim potestas conceditur ei, cui libera facultas datur iudicandi, & imponendi pœnitentiam suo arbitrio, quam ei, cui præfigitur pœna, quam imponat.

24.
Poffe fup-
riorem fibi
referuare
peccati iudi-
cium.

Atq; hinc vterius intelligitur, poffe fuperiorem ita committere alicui iudicandam causam alicuius peccati quoad culpam, vt tamen illam non omnino deleget quoad castigacionem, & vindictam, fed in hoc fibi referuet quali vltimum iudicium, nõ quod ab inferiori sacerdote imponenda non fit aliqua satisfactio; hoc enim repugnaret integritati sacramenti, fed quod imponenda fit cum subordinacione ad fuperiorem, qui vult illam recognoscere, & augere, vel mutare, vel fua auctoritate confirmare, prout expedire euenierit. In hoc enim nulla est repugnancia: quia non est neceffe, vt quoad hanc partem iudicium confessoris femper fit fupremum: vnde enim hoc habetur, aut quo principio fundatur? Præsertim: quia iudicare cum obligatione imponendi pœnam taxatam ab alio, non est fupremi iudicis, fed est iudicis dependentis aliquo modo à iurisdictione alterius? Sed ille modus potest feruari in hoc tribuiali: ergo quoad hoc non est neceffe confessorum se gerere vt fupremum iudicem. Præsertim quia eiusdem rationis esse videtur taxare pœnam imponendam; vel referuare fibi vltimum iudicium de tali pœna: ergo qui potest primum, potest & fecundum. Eo vel maxime, quod fententia confessoris quoad hanc partem non est immutabilis, vt in fuperioribus ostensum est: ergo potest fuperior hanc mutabilitatem, vt sic dicam, fibi referuare, vt fuo iudicio confirmetur. Denique in hoc modo referuacionis nullum est ex natura rei inconueniens, neque fecundum diuinum ius est aliquid repugnans institutioni sacramenti, aut remissioni peccati: neq; etiam est aliquid contra morem Ecclesiæ, imò est conformis vsui eius, vt declarauit.

25.
Dubitatio
occurrit.

Nec dubitari potest quin poverit Christus hoc modo concedere potestatem, quam pastores Ecclesiæ habent ad delegandam suam iurisdictionem (vel vt alij loquuntur) ad subiciendam materiam inferioribus sacerdotibus. Ac denique hic modus potestatis potest esse valde conueniens, vt subditi peccare formident, & vt grauiora crimina grauiori iudicio puniantur, quæ est vna ex rationibus propter quas referuantur peccata, vt colligitur ex Tridentino citato loco: cur ergo negabimus esse in pastoribus Ecclesiæ hanc potestatem? Nam in Euangelio, quantum spectat ad hanc potestatem iurisdictionis proximæ, vt sic dicam, seu subiectionis materiz, vt alij loqui volunt, solum habemus illud verbum Christi, *Pasce oues meas*, per quod Petro datur hæc potestas, & per illum in alijs deriuatur, vt ex fuprà dictis constat: cum illis autem verbis non solum non repugnat hæc potestas, verum etiam maxime quadrat: quia totum hoc spectare potest ad optimum, & conuenientissimum modum regendi, & pascendi oues Christi in fpiritualibus. Vnde improbabile profecto cenfeo hanc potestatem Summo Pontifici negare, quod si ipse illam habet, nõ est cur illam inferioribus prælati denegemus: cum iura hoc non prohibeant: imo Pontifices saltem videndo, & tacendo approbare videntur. Hoc ergo optime intelligitur poffe Prælatum facultatem dare cum prædicto onere, & non aliàs: quia non totaliter committit causam, seu subicit materiam alteri, fed fibi referuat vltimum iudicium eius quoad hanc partem.

26.

Atque ad eundem modum explicari facile potest tertium membrum fuprà propositum, de fententia seu officio confessoris quoad curationem peccati in ordine ad futurum: nam in hoc etiam non est neceffe quemlibet confessorum esse fupremum iudicem, vel potius medicum: cur enim, aut quæ est ne-

Fr. Suarez tom. 4.

cestitas? aut ex quo fufficienti principio colligi potest? Nam quoad hoc etiam non est neceffe fententiam esse immutabilem, nec confifit, vt sic dicam, in indiuisibili, fed habet latitudinem, & maxime requirit prudens arbitrium: cur ergo non poterit prælati vltimum iudicium quoad hanc partem fibi referuare: & ob hanc causam imponere onus subdito coram se comparendi? Et fimiliter aliæ rationes in fecundo membro factæ, poffunt cum proportione hic applicari. Ac tandem explicatur optime ex his integra ratio huiusmodi concessions: nam propter periculum permanendi in ftatu culpæ ex vna parte & neceffitatem seu conuenientiam referuacionis ex altera, prudens fuperior interdum hoc medio vti potest; vt & facultatem concedat obtinendi abfolutionem à culpa, & quoad hoc vltimum & integrum iudicium committat alteri, & nihilominus fibi referuet vltimum iudicium caufæ quoad emendationem, vel castigacionem delicti: quæ duo primò per se ac maxime per referuacionem intenduntur. Quamquam enim referuacio poffit etiam referre ad alios fines, & ad commune bonum; tamen sine aliquo fine intrinseco & proprio ipsius sacramenti non poffet habere locum.

Ex his ergo satis, vt opinor, declaratum est, esse in fuperioribus potestatem ad imponendum hoc onus subditis ex vi modi limitandi delegationem, seu subiciendi materiam inferiori. Quod fenserunt Henrich. Maior, Adria. & Angel. locis fuprà citatis, quâuis non ita explicauerint, neq; opinor alios auctores contradicere, vt statim declarabo. Hinc enim vterius infero, etiam si subditus ignoret modum & conditionem iurisdictionis, quando per eam abfolutionitur, nihilominus manere obligatum ad comparendum coram fuperiore, ex defectu potestatis in proximo abfolute ad ferendam vltimam fententiam in illa causa, ex illo capite. Vnde hæc obligatio non oritur proprie ex pacto, fed ex ipsa rei natura, pofita tali iurisdictione, seu materiz applicatione, ideoq; non pendet ex actuali confensu subditi, neque per eius ignorantiam impeditur. Sicut, licet aliquis bona fide ex parte fua abfolutionatur à peccatis referuatis ab eo, qui non habet facultatem abfolutionendi, teneatur illa peccata confiteri fuperiori, etiam si refpectu aliorum peccatorum talis abfolutio fuerit valida. Sic ergo in præfenti quantumuis ex parte subditi fit bona fides, fententia non potest excedere modum iurisdictionis: & ideo, licet fuerit consummata quoad iudicium culpæ, non vero quoad alias partes, ac proinde relinquit obligationem comparendi. Non tamen nego fecundum debitum ordinem debere prius notificari subdito tale onus, quod maxime videntur voluisse alij auctores, & merito: quia, licet fuperior poffit huiusmodi facultatem concedere, non tamen potest obligare subditum ad viuendum illa: quia non potest obligare illum abfolute ad dicendum peccatum suum duobus: fed solum potest concedere illud vt priuilegium quoddam, quo inferior vti poffit, si velit, si autem nolit, poffit differre confessionem, vt eam coram fuperiore faciat. Vt ergo satis voluntarie poffit vti tali facultate, recta ratio postulat, vt ei manifefctetur onus, cum quo tale priuilegium conceditur, alioqui non poterit libere eligere: si tamen iure, vel iniuria, vel casu accidat ipsum hoc ignorare, nihilominus delegatio femper facta manet cum prædicta referuacione: ideoq; non impeditur illud onus.

Atq; hinc obiter intelligitur primò, quando in aliqua religione per statutum conceditur hæc facultas cum prædicto onere, ex vi illius resultare obligationem sub mortali culpa comparendi coram fuperiore, etiam si nec statuta talis religionis soleant obligare in confcientia, neq; in tali statuto fint fpecialia verba præceptiua, præter illa, quæ declarant modum referuacionis, & facultatis. Nam illud statutum non

27.
Superioris
habere potest
statum imponendi
prædictum
onus.
Henric.
Maior.
Adria.
Angel.

28.
Corollarium
Primum.

Mm a tam

tam præcipit, quàm facit, seu indulget tali modo, A
supposita reservatione, quam non omnino tollit,
sed moderatur, & quoad hoc est efficax tale statu-
tum: quia procedit ex voluntate, & ex potestate, vt
ostensum est: posito autem illo effectu, ex natura
rei, seu ex ipsa institutione sacramenti sequitur alia
obligatio, quæ grauis est ratione materiæ, vt recte
supra probatum est.

29.
Corollarium
secundum.

Secundo intelligitur ex dictis, qua ratione verum
fit, quod in quadam confirmatione supra attinge-
bamus, si contingat subito post confessionem fa-
ctam, & ante absolutionem datam declarari onus,
quod ei relinquatur, comparandi coram superiore,
& nolit illud acceptare, nec proponere illud imple-
re, non esse absolendum. Ratio enim est: quia igno-
rantia præcedens non excusat illum à tali onere, li-
cet absoluat: ergo si non proponit illud implere,
non est dispositus ad recipiendam absolutionem.
Poterit ergo talis subditus conueniri, eo quod non
fuerit potestas confessoris ei declarata ante confes-
sionem, vt videret, an sibi expediret ei confiteri; ta-
men non propterea poterit excusari: quia hæc ne-
gligentia, vel malitia non auget potestatem confes-
soris, ex cuius limitatione prouenit, vt penitens re-
linquatur cum illo onere, seu obligatione.

30.
Corollarium
tertium.

Tertio intelligitur ex dictis, an hæc obligatio,
quæ ex hac confessione relinquatur ad comparan-
dum postea coram superiore, sit ad iteratam confes-
sionem sacramentalem faciendam, nec ne. In rigore
eum non obligatur penitens iterum confiteri, &
absolutionem sacramentalem recipere: quia illa
non indiget ad remissionem culpæ, & consequenter
neque ad implendum diuinum confessionis præce-
ptum, neque ad finem reservationis est necessaria:
tamen, quia hoc est maius commodum penitentis
supposita priori obligatione, ideo moraliter loquen-
do, hoc semper fiet per iteratam confessionem. Pos-
test tamen contingere, vt nolit subditus se iterum
disponere ad confessionem faciendam, præsertim si
habet nouam materiam necessariam, quamuis non
reseruatam; velit tamen se liberare ab illo onere, &
coram superiore comparere: & tunc satisfaciet red-
dendo illi rationem facti commissi, & satisfactionis
(si voluerit) aut medicinæ impositæ, & acceptando
si quam aliam superior imponendam iudicauerit.
Aduerto tamen, in eo casu teneri superiorem ad sus-
cipiendum totum illud sub sigillo confessionis, et-
iam si noua sacramentalis confessio tunc non perfi-
ciatur: quia tota illa manifestatio est in ordine ad
claves, prout pertinentes ad hoc forum sacramenta-
le. Estque illa veluti consummatum quædam sacra-
mentaliter iudicij: habet autem ius penitens, vt to-
tum iudicium sub eodem secreto consummetur: &
ideo nullo modo redundat in maius onus peniten-
tis quod possit sine nouo sacramento confessionis
peccatum suum superiori manifestari.

31.

An possit
dari facultas
dari facili-
tas sub one-
re iterum
confitendi.

An vero possit talis reservatio fieri, seu facultas
dari sub onere præciso iterum confitendi sacramen-
taliter tale peccatum superiori, & recipiendi ab illo
absolutionem, quæstio est parui momenti, & quæ
ad praxim, & moralem vsura nihil fere refert. Pos-
set autem id affirmari hoc titulo, quod superior ha-
bet ius imponendi satisfactionem sacramentalem;
& quia, cum in hoc ipso exerceat actum clavis per-
tinentem ad hoc forum: rationabiliter potest, nol-
le illud exercere, nisi perficiendo hoc sacramentum.
Nec per hoc cogit subditum absolute bis confiteri,
idem peccatum, sed solum sub conditione, si volue-
rit prius ab inferiori absolui. Nihilominus tamen
oppositum videtur verius, propter rationes factas:
quia non potest in hoc maius onus imponi, quàm
sit necessarium ad finem reservationis. Item: quia
non est cogendus penitens, vt si aliqua peccata

Solutur
quæstio.

non reservata postea commisit, illa superiori confi-
teatur. Communiter tamen illa manifestatio, quæ
fit superiori, appellatur confessio, vel quia regulari-
ter subditus eligit medium confessionis tanquam
sibi vtilius: vel quia semper dicitur vt materia con-
fessionis, & sub sigillo: quanquam ad hoc etiam nõ
obligetur penitens, cum possit cedere suo iuri, nec
est timendum quod à superiore cogatur: nam præ-
lati regulariter hæc vellent audire sine obligatione
sigilli. Quapropter, non omnino probo quod ait
Soto d. 1. 8. quæstione secunda, articulo quinto, §. De-
scendendo, neminem posse compelli in foro peniten-
tiali peccata sua detegere, nisi propter absolutionis
beneficium: Nisi id intelligatur de obligatione ab-
soluta: nam si sit ex suppositione voluntaria, id non
repugnat, vt ex dictis satis constat: & iterum etiam
dicitur disp. seq. sect. 1. quia quando confessio inci-
pit à superiore, qui non est daturus absolutionem,
satis est quod talis manifestatio ad sacramenti, seu
iudicij complementum ordinetur.

Vltimo intelligitur ex dictis, quid dicendum sit
de articulo mortis, an pro illo possit etiam imponi
hoc onus seclusa censura (hoc enim supra in hunc
locum remisimus) in eo enim casu probabile est hoc
fieri non posse. Quod, præter Durandum supra, te-
net Paludan. d. 20. qu. 1. artic. 2. conclus. 3. Et potest
fundari, quia pro illo articulo plena iurisdic-
tio est iure diuino concessa omnibus sacerdotibus. Sed
hoc fundamentum falsum est, vt supra vidimus.
Paludan. autem solum fundatur in eo, quod nemo
potest obligari ad hoc, vt bis necesse habeat confite-
ri, seu (quod perinde est) bis peccatum suum mani-
festet. Quæ ratio pro illo articulo mihi videtur proba-
bilis: quia pro illo talis necessitas non est ex sup-
positione, sed simpliciter: extra illum enim casum
hæc necessitas non est absoluta, sed voluntaria: quia
subditus simpliciter non obligatur ad confitendum
prius inferiori sacerdoti, sed potest expectare superi-
orem: in articulo autem mortis omnino tenetur
confiteri cui potuerit: & ideo, si tunc obligaretur
eum dicto onere, simpliciter cogeret dicere duo-
bus peccatum suum: quod est certe grauissimum, &
intolerabile onus. Et quoad hoc fauerit vsus Ecclesie:
nunquam enim in illo articulo talis modus reser-
uationis introductus est, seclusa censura, de qua est
specialis ratio: quia includit penam pertinentem
ad forum contentiosum. Est ergo hæc pars probabi-
lis, quamuis dubia: nam iuxta principia posita
facile defendi potest, etiam pro illo articulo non
deesse in Ecclesia potestatem, & illam necessitatem,
quæ inde oritur, vt idem peccatum duobus innotes-
cat, accidentariam esse, ac propterea non esse in-
conueniens, quod in aliquo casu sustinenda sit. Sic-
ut contingit quando confessio facienda est per in-
terpretem. Quidquid vero sit de absoluta potestate,
de facto, reservatio pro illo articulo nunquam hoc
modo fit, & male faceret prælatus infra Summum
Pontificem, qui hoc facere tentaret. Sequus vero est
de quolibet alio casu extra articulum mortis, et-
iam si occurrat qualibet alia necessitas, vt commu-
nicandi, faciendi sacrum, vel alia similis. Semper
tamen existimo in his casibus esse liberum peni-
tenti non confiteri inferiori sacerdoti (per se lo-
quendo, & secluso scandalo) sed se gerere tanquam
qui non habet copiam confessoris: quia sicut extra
articulum mortis nullus obligatur confiteri per
interpretem, ita nec obligabitur confiteri cum onere
manifestandi suum peccatum pluribus sa-
cerdotibus: semper ergo se habet hoc tan-
quam priuilegium, cuius vsus
voluntarius existit.

): (